DE NOMINUM COMPOSITORUM GRAECORUM IMPRIMIS HOMERICORUM GENERIBUS.

DISSERTATIO

INAUGURALIS PHILOLOGA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE

FRIDERICA GUILELMA

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

DIE XXII. M. APRILIS A. MDCCCLXVIII

H. L. Q. S.

IN PUBLICO DEFENDET

AUCTOR

FERDINANDUS HEERDEGEN

NORIMBERGENSIS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCIPIENT

F. WUNDERLICH, CAND. PHIL.

E. SIECKE, STUD. PHIL.

P. SCHELLER, STUD. PHIL.

BEROLINI

TYPIS EXPRESSIT GUSTAVUS LANGE.

HAS

STUDIORUM PRIMITIAS

GRATO ANIMO

CONSECRATAS ESSE VOLUIT

AUCTOR.

Antequam ad eam quam mihi proposui quaestionem aggrediar, libet brevi exponere, quale sit de quo disputabitur et quidnam hujus opusculi inscriptionem voluerim significare.

Lingua Sanscrita quanta quamque nimia abundantia floreat nominum compositorum, si quis vel primis illam labris degustaverit, animadvertere mirarique solet. Quam innumeram multitudinem vel potius componendi omnino facilem consuetudinem doctissimi illi Indorum grammatici, sicut universam populi sui priscam linguam nonnunquam parum recte semper tamen diligenter et industrie pertractaverunt ejusque investigaverunt leges, ita igitur componendi quoque rationes perscrutati, quas invenerunt varietates observatas habent descriptasque. Qui cum conformationis tum significationis compositorum ratione habita non minimam eam instituerunt quaestionem, ut cognoscerent, quibusnam variis modis totius compositionis vis et significatio concresceret e duorum membrorum conjunctorum notionibus aut quae rationes interesse solerent inter duas notiones vocesque componendo consociatas. Hanc igitur secuti viam, cum significationis in componendo efficiendae leges observarent, ex iis quas invenerant varietatibus distinxerunt quaedam nominum compositorum genera, in quae omnis multitudo distribuenda esset pro singulorum significationis natura atque diversitate.

Nec multo paucioribus iisque elegantioribus quam Sanscrita lingua nominibus compositis utitur sermo Graecus. In quibus vel singulis vel universis perquirendis cum saepe multi grammatici doctique viri industriae suae et sagacitatis partem posuerint, plurimos tamen eorum videre mihi videor haesisse in conformationis et usurpationis compositorum observationibus, paucos autem adhuc versatos fuisse in ea ipsa qua Indi quae-

stione, quasnam Graeca quidem lingua in efficiendis compositorum significationibus sequatur consuetudines, quae Graecorum discerni possint nominum compositorum genera, denique etiam, quem ad finem Graecae linguae in hac re mores legesque similes sint aut dissimiles Indicarum.

Sed si quis comparativae philologiae operam dederit, facere non poterit quin ab hac quoque grammaticae parte cognationem illam linguarum quas dicunt Indogermanicarum percipiat atque agnoscat. Itaque primus Boppius, quippe cui nomen conditoris philologiae comparativae semper maneat, exeunte illo libro, quo hoc sibi nomen stabilivit, suo loco etiam de compositorum in linguis Indoeuropaeis analogiis disputavit in universum; nuper autem F. Justius singulari hac quaestione sibi proposita nominum in linguis Indogermanicis compositionem tractavit[1]. Jam vero apparet pretium esse operae, si quis adhibitis illorum virorum quaestionibus receperit se ad peculiarem Graecorum grammaticam atque ex universo comparandi fructu singularem redigat unius hujus linguae, tanquam ex majore flumine agros percurrente suus cuique agello quem irriget deducitur rivus. Cujus deducendi operae alteram partem alii aliis locis subierunt, qui de nominum compositorum Graecorum egerunt conformatione; alteram autem in partem, in efficiendae significationis dico rationes modosque perspiciendos, aliquid afferre atque ea quae hac via inveniantur nominum compositorum Graecorum genera distinguere ego mihi quidem hoc opusculo conandum certe putavi. Quod igitur mihi proposui, nihil aliud est nisi ut eam quam Indi, Boppius, denique Justius dederunt nominum compositorum Indicorum et Indogermanicorum generum distinctionem in Graecae grammaticae usum examinem et, si opus esse videtur, coner corrigere; deinde autem, ut de singulis Graecis quae statuero generibus paulo accuratius disputem largioribusque ea exornem

[1]) Ueber die zusammensetzung der nomina in den indogermanischen sprachen. Gött. 1861.

exemplis. Sed quia, quamvis libenter fecissem, hanc exemplorum materiam ex universis litteris Graecis congerere adhuc minime potui et propter tanti negotii amplitudinem et qua sum virium etiamnunc exiguitate, satis habui in hoc quidem opusculo atque duxi antiquissimum, si Homericorum quae dicuntur carminum, Iliadis, Odysseae, hymnorum, quam suppeditant nominum compositorum copiam, eam tantum exscriberem et quomodo in genera illa distribuenda essent experirer.

Itaque facile hoc modo discedunt duae disputationis partes: agetur primum de nominibus compositis Graecis eorumque generibus generatim; tum vero in altero libro collectis exemplis Homericis observabuntur singula genera singillatim.

LIBER I.

De nominibus compositis Graecis eorumque generibus agitur in universum.

Circumscribendi ante omnia et constituendi sunt ejus quam peragraturus sum provinciae fines. Neque enim inutile esse censeo ad ineundam quaestionem breviter exordiri a generalibus Graeci sermonis componendi rationibus; pauca deinde exponam de juxtapositionibus atque de aliis certis vocabulis, quae ne compositis annumerentur cavendum quibusque abstinendum erit in insequente disputatione. Atque haec quidem in prima secunda tertia hujus libri paragraphis; pergetur tum demum in ceteris ad discernenda nominum compositorum genera.

§ 1.

Componuntur a Graeca lingua orationis illae partes: nomina, verba, particulae sive adverbia, omnes tres; neque tamen omnes inter se cum omnibus. Sed, ni fallor, haec tantum inveniuntur compositorum omnino genera, in quibus convenerunt nomina cum nominibus, adverbia cum nominibus, adverbia (praepositiones) cum verbis, adverbia cum adverbiis. Non possunt componi nomina cum adverbiis, verba cum adverbiis; nec magis, antiquis certe linguae temporibus, nomina cum verbis, verba cum nominibus, verba cum verbis, nisi verba in tali compositione transierint in nominalem (participii vel etiam infinitivi) cum conformationem tum significationem; cujus rei exempla sunt ἡνί-οχος, ἐχέ-φρων, φιλο-μαθής (= τὸ μανθάνειν φιλῶν). Nam talia vocabula qualia sunt ἐλευθεροστομεῖν, τοκογλυφεῖν, ὑμνῳδεῖν similiaque non esse composita, sed verba de nominibus compositis derivata, luce est clarius; de quibus quae nomino decomposita mox dicetur § 3.

Deinde apparet ipsa quoque composita esse aut nomina aut verba aut adverbia. Atque nomina composita effici possunt ex nominum, verborum (participiorum), adverbiorum cum nominibus aut verbis (participiis) conjunctione; verba composita ex adverbiis (praepositionibus) et verbis; adverbia composita ex adverbiis cum adverbiis atque etiam ex adverbiis cum nominibus consociatis.

Non minus autem patet, quid dicatur significationibus: compositum nominale, verbale, adverbiale. Nihil scilicet aliud nisi ejusmodi compositio, in qua nomen, verbum, adverbium adhibitum est. Est igitur ἡνίοχος nomen compositum idemque compositum nominale et compositum verbale; πρόχνυ autem et σήμερον adverbia composita sunt, sed ipsa quoque composita nominalia. Sequitur, quae differentia sit inter nomina composita et composita nominalia; quam hoc loco notavisse non supervacaneum putavi, quoniam quaestio nobis erit non de omnibus quae adhibitis nominibus effecta sunt compositis, non igitur de compositis nominalibus, sed de iis tantum quae ipsa nomina sunt compositis.

§ 2.

Jam vero tenenda est in Graeca quidem lingua consociationis vocabulorum duplex illa ratio, quam veteres grammatici Graeci jam distinxerunt nominationibus παράθεσις et σύνθεσις. Atque enim primum simplicissima conjungendi ratio est, ut vocabula cum iisdem declinatis formis, quibus in soluto sermone alterum alteri aut par esse aut subesse significatur, juxta se apponantur scribendoque in unius vocabuli coeant speciem. Quam rem levissimi esse momenti apparet neque obstat quidquam, quominus primo quoque tempore abjecta apponendi consuetudine disjungantur membra scribanturque vocabula quae vere sunt duo. Exempla afferre vix est opus: Διί–φιλος, cujus analogiam fieri non poterit quin adhibeamus in ἀρηί–φιλος; νεώς–οικος; multa nomina propria; adverbia denique ut κατ–ενῶπα. Mentione dignum est etiam ἰη–παιήων (Hom.

hymn. Ap. Pyth.), juxtapositio ex interjectione atque nomine conglutinata.

Neque diutius haerendum est in hac conjungendi ratione, quam Latine juxtapositionem jam ausus sum nominare[1]; nam compositionis nomine haud merito ornaretur. Sed vere componi atque arctiore modo et forma et notionibus — (nonne enim pendet forma ex notione?) — conjungi ea tantum vocabula possunt, quae in casus deflectuntur: nomina; induta nominali i. e. participiali forma etiam verba. Quorum adhibentur in componendo ea themata, quae extra compositionem nusquam per se ponuntur sed semper aucta suffixis, atque eo ipso firmior evadit conjunctio eoque difficilior ad dissolvendum. Itaque cum διί–φιλος et Νεά–πολις juxtapositiones sint, facile, si voluisset lingua, conformari poterant compositiones διόφιλος sicut διογενής et Νεόπολις sicut ἀκρόπολις.

Contra adverbia, sicut vocantur indeclinabilia, cum declinatione casuum plane careant, carent etiam ea qua nomina sunt componendi facultate et mobilitate neque sua quidem potestate astrictiorem conjunctionem inire possunt. Atque si τηλε–κλειτός, δια–φέρειν, ἀπ-άνευθε non composita esse contenderem sed juxtapositiones, non graviter esset peccatum; nulla enim facta mutatione utraque membra sejunguntur et apud Homerum saltem in Vedicisque Indorum litteris praepositiones (adverbia) longo saepe intervallo inveniri a verbis suis separatas res est notissima.

Verba igitur composita (adverbialia scilicet) ut δια-φέρειν et adverbia ex duobus adverbiis conglutinata ut ἀπ–άνευθε juxtapositionum loco habere sane liceret. Aliter res se habet in iis compositis adverbialibus, quorum altera membra nomina sunt; in quibus vere compositionem esse factam variis modis indicatur. Aut accentu solum ut in εὐ–ποίητος; retrahi accen-

---

[1]) Fieri non poterit in rebus grammaticis quin hac aliisque in insequente quaestione utar appellationibus, sane barbaris minimeque Romanis, sed commodis certe et quae vix evitari possint; — quarum hoc semel loco petitam velim veniam.

tum grammatici jubent in componendo, quanquam hoc vinculo ne juxtapositiones quidem carent; — aut levibus quibusdam formae assimilationibus ut in πυγ-μάχος (πύξ); aut quod nonnulla adverbia, inseparabilia dico, extra compositionem adhiberi desierunt vel potuerunt nunquam[2]: ἄ-πιστος, δυσ-μήτηρ; — maxime autem posterioris membri exitu nisi in componendo non admisso, velut praeter εὔ-πλεκτος dicitur etiam εὐ-πλεκής, minime vero πλεκής; — denique significationis illa saepe possessiva natura ut est in εὔ-κυκλος. Neque nefas est, si etiam ea exempla, quae velut τηλε-κλειτός nullam compositionis notam in se habeant aut nequeant habere, tamen in compositorum adverbialium societate relinquuntur, quamvis, si severum dabitur judicium, composita judicanda non sint. Sed id quidem sine dubio jam patebit et constat, adverbia cum nominibus non tam arctam nec formationis nec significationis habere posse conjunctionem quam quae est inter duo nomina; posteaque in nominum compositorum discernendis generibus non negligemus hanc differentiam: § 6.

Restat ut commemorem fieri interdum etiam in duorum nominum compositione, ut prius quidem membrum, cum casus alicujus declinatam formam retineat, appositum magis videatur quam compositum, posterioris autem membri totiusque simul vocabuli exitus indicet compositionem. Ita *juxta*ponitur, ut ita dicam, altera pars, *com*ponitur altera, ideoque conjunctionis haec ratio tanquam in confinio est juxtapositionis et compositionis. Exempla sunt νουν-εχής, οὐδενός-ωρος, κηρεσσι-φόρητος, ὁδοι-πόρος (loc.).

§ 3.

Agendum est denique hac paragrapho breviter de genere quodam vocabulorum, quae quamvis compositionum praebeant speciem et similitudinem, tamen ne annumerentur compositis cavebimus; quibus, quia derivata sunt de compositis, nomen

---

2) quae eam ipsam ob causam cum verbis juxtapositiones sicut cetera adverbia non efficiunt aut rarissime tantum et praeter legem (ἀτίζω, ἀτίω).

vindicandum est decompositorum. Effici autem videntur ex omnibus fere compositorum generibus. Itaque, ne exempla desint, nomina decomposita sunt σωφροσύνη, κακουργία, ἀτιμία, derivata de nominibus compositis σώφρων, κακοῦργος, ἄτιμος; ex iisdem deinceps profecta sunt verba decomposita σωφρονέω, κακουργέω, ἀτιμάζω et ἀτιμάω; deinde de verbis συμμάχομαι, ἐκπρέπω, συγγράφω derivata sunt nomina decomposita σύμμαχος, ἐκπρεπής, συγγραφεύς; de συλλαμβάνω, ἐπιτρέχω deducenda sunt συλλήβδην, ἐπιτροχάδην adverbia decomposita; αὐτοσχέδιος autem est nomen decompositum de adverbio αὐτοσχεδόν derivatum.

Hujusmodi igitur decomposita non amplius nobis respicienda erunt; addendum autem est hoc loco fieri etiam, ut unum idemque vocabulum duplice sit significatione, alibi compositi, alibi decompositi; derivata igitur est talis vox duobus diversis modis rectiusque judicantur duo revera vocabula esse, compositum et decompositum, in eandem fortuito speciem conformata. Sufficiat hic unum attulisse exemplum; alia quaedam non praetermittam in altero hujus libelli libro. Habet enim Aeschylus in Suppl. v. 549 (ed. Herm.) vocabulum ἔννομος ita usurpatum, ut sit inhabitans, incola, neque facere possumus, quin nomen decompositum esse statuamus a verbo composito ἐννέμω profectum: idem autem poëta in eadem illa tragoedia v. 369 et 389 multique saepe multis locis alii scriptores ἔννομος illud ita adhibent, ut significet ἐν νόμῳ ὤν, justus, legitimus, cum eaque significatione plane legitimum justumque est nomen compositum adverbiale.

Liquet igitur etiam hoc, ubi judicandum sit de dubio aliquo vocabulo, utrum compositum sit an decompositum, non conformationem magis quam significationem esse sequendam indeque de origine et natura ejus sententiam repetendam.

§ 4.

Sed quoniam satis praefatus sum et, quid nomen compositum sit quid non sit, jam constare existimo, abstineo dehinc

ceteris et ad ipsam tandem adeo quae proposita est quaestionem. Incipio autem ab Indorum illorum grammaticorum in nominum compositione observationibus eorumque generum distinctione. Qui compositorum *nominalium* haec statuerunt genera sex.

Primum voluerunt esse eorum, quae Indica appellatione vocantur „dvandva", Latine copulativa. Complectitur hoc genus eas compositiones, in quibus dua vel plura nomina notionibus plerumque similia, quae extra compositionem particula aliqua copulativa conjungebantur, ejecta hac conjunctione in unum vocabulum coierunt. Quae, quod ad exitum compositi, duobus modis possunt conformari: aut enim numero grammatico dualem vel pluralem habent determinationem eodemque sunt quo posteriora membra grammatico genere; — aut singularis est conclusio generisque neutri, quo scilicet modo multo arctior conformatur et quasi collectiva compositio. Atque eorum quae Boppius in Sanscrita et in comparativa grammatica affert exemplorum eligo haec: k'andrâditjâu (conformatio dualis) luna solque; dêva-manushjêshu (loc. plur.), quod significat: apud deos hominesque; denique jûkâ-makshikamatkuṇam (neutrum singulare) quasi societas est pediculorum muscarumque cimicumque.

Secundum deinde genus continet composita „bahuvrîhi" sive quae vocari solent possessiva. Quae ea sunt natura, ut duo membra comprehendant nova tertia quadam addita notione, habendi plerumque et possidendi; sed ea, cum nulla compositi parte neutroque membro exprimatur, subaudienda est in compositione et, si disjungas conjunctionem, significatio compositi explicanda est proprio habendi vel possidendi verbi participio, a quo regantur membra, tum demum apposito. Igitur dvi-pâd est δίπους duos pedes habens, a-pâd est ἄπους velut si Latine diceretur „impes".

Tertium apud Indos genus est „karmadhâraja"; Latine nominantur determinativa. In iis enim alterum membrum altero determinatur et definitur, ut ex his patet exemplis: divja-kusu-

ma flos coelestis, a-dṛshta non visus; Latinis: dis-similis, meridies (medius dies).

Quarto dein generi „tatpurusha" inscripto annumerant Indi ea composita, in quibus membrorum, si solveris conjunctionem, alterum ab altero regitur casusque prioris pendere solet et subesse posteriori. Itaque mahî-pati est terrae dominus, dharmavid officia sciens, nabhas-k'juta de coelo lapsus.

Quintum denique genus consistere volunt in compositis quibusdam collectivis, quorum prius membrum est nomen numerale; totius autem compositi i. e. posterioris membri exitus in singularem numerum neutri vel feminini generis transformatur: tri-ǵagat, tri-lôkî, utrumque significans tres mundi sive potius si Latine diceretur „trimundium", quemadmodum tri-râtram est trinoctium.

Atque hactenus nominum compositorum genera. Enumerantur sexto loco „avjajîbhâva", composita adverbialia, in quibus adverbia cum nominibus congressa effecerunt composita ipsa quoque adverbia. De quibus, quoniam non nomina composita sunt, nihil amplius hic, pauca insequente paragrapho opus erit dicere.

§ 5.

Sequitur ut haec genera Boppio duce transferam ad grammaticam Graecam, quo in negotio simul judicabo, num quid in hac divisione non recte vel parum accurate observatum esse existimem.

Primi generis perrara apud Graecos inveniuntur exempla. Affert Boppius in gramm. comp. haec duo: βατραχομυομαχία, cujus duplicis compositi priorem partem βατραχο-μυο- compositum copulativum esse censet; alterum exemplum est neutralis et singularis illius quam jam praecedente paragrapho notavimus conformationis: νυχθ-ήμερον. Deinde annumerat huic generi jure quodam etiam adjectiva composita, quae Indi plane silentio praeterierunt, velut Sscr. vṛttapîna, rotundus crassusque, vel Graecum λευκο-μέλας. Quanquam propria horum adjecti-

vorum natura et a substantivis copulativis diversitas ea esse videtur, quod non duos homines vel duas res inter se similes et quasi geminas continent, sed in unum hominem vel rem duplex deferunt tantum attributum. Itaque λευκο-μέλας esse non potest albus alius quis aliusque niger, sed qui albus simulque niger est. Sed tamen, cui alii generi compositorum talia adjectiva rectius annumerentur, non video. Ceterum dubitatio illa magis logicam tangere mihi videtur differentiam quam grammaticam; nam ipsa vocabula quidem λευκός et μέλας extra compositionem conjunctione aliqua copulativa conjungenda sunt, qua ejecta compositum efficiunt sane copulativum. Nonne enim adjectivi munus est attribuere? Quid mirum si compositum adjectivum nihil aliud est nisi duplex unius rei attributum? Talia igitur copulativis ascribere minime dubito.

Tum vero secundi possessivorum generis exempla Graeca sunt haec: κυνό-φρων, μεγά-θυμος, αὐτό-δικος, εὐ-μενής, ἄ-παις. Et sane haec composita omnia ea sunt natura, ut soluto compositionis vinculo accedere debeat nova illa tertia notio habendi sive possidendi, unde generis appellatio repetita est. Sed nihilominus tamen, si accuratiorem singulorum exemplorum comparationem instituerimus, haud exiguas eorum observabimus diversitates. Nam quod quidem attinet ad ipsorum membrorum inter se rationem, apparet eam aliam esse in composito κυνόφρων, aliam in μεγάθυμος atque ἄπαις. Illud enim cum significet κυνὸς φρένα ἔχων, eadem est inter membra ratio quae in compositis quarti „tatpurusha“ generis: subest alterius membri casus alteri ab eoque regitur. Contra in μεγάθυμος et ἄπαις plane aliter res se habet; significant enim μέγαν θυμὸν ἔχων et οὐ παῖδας ἔχων atque possessivae totius compositi naturae paululum immemores determinativam illam quae tertii generis propria est rationem sine dubio inter membra adesse statuemus. Eadem quae inter κυνόφρων atque ἄπαις diversitas est inter cetera quae supra dabantur exempla: εὐμενής est εὖ μένος scil. ἔχων, αὐτόδικος autem solvendum est αὐτοῦ sive ἑαυτοῦ δίκην ἔχων. Quid denique? si Aristophaneum illud com-

positum sane ridiculum nec tamen ut videtur contra linguae leges confectum: σαλπιγγο-λογχ-υπηνάδαι (Ran. 966) explicare debemus, tria membra compositi separanda sunt, ad quorum postremum totius vocabuli accessit suffixum; significat autem homines tubas hastasque barbasque habentes; est igitur compositum possessivum idque copulativum. Itaque, quamvis talia quidem exempla possessiva eademque copulativa perrara sint cum in Sanscrito tum in Graeco sermone, tamen hac adhuc disceptatione satis jam probatum esse opinor, secundum hoc genus majore dignitate et ordine esse quam primum tertium quartum genus et peccavisse in hac re Indos, qui intra possessivi generis fines cetera genera inveniri denuo repetita non animadverterint.

Pergentibus ad tertium determinativorum genus exempla Graeca in promptu sunt haec: ἰσό-πεδον, εὔ--δηλος, ἀν-ήμερος, αὐτ-όπτης, quae deinceps explicanda sunt ἴσον πέδον, εὖ δῆλος, οὐχ ἥμερος, αὐτὸς ὁρῶν. Quod in hoc genere accuratiore modo dispositum esse velim, id unum est, ut discernantur ea composita, quorum utraque membra nomina sunt, ab iis, quorum priorem locum tenent adverbia, quae igitur appellare licet adverbialia. Respicio enim, quae supra § 2 exposui, adverbia in compositione cum nominibus non eandem habere rationem nec tam astrictam conformationis et significationis conjunctionem quam duo inter se nomina. Quamobrem ἰσόπεδον atque αὐτόπτης distant aliquid a ceteris, εὔδηλος et ἀνήμερος, adverbialibus.

Ceterum determinativorum appellatio non recte vindicatur soli huic tertio generi; cadit enim eodem jure in quartum genus, utpote in cujus compositis casualibus alterum membrum altero in casum deflexo non minus determinetur definiaturque. Exemplorum munere funguntur στρατό–πεδον, θεο-είκελος, θεό–δοτος, ἱππό-δαμος, δακέ–θυμος, quae deinceps significant στρατοῦ πέδον, θεῷ εἴκελος, ὑπὸ θεοῦ δεδομένος, ἵππους δαμῶν, θυμὸν δάκνων. Atque in hoc quoque genere observari potest quaedam exemplorum differentia, sed levioris ut videtur momenti: eam

dico, utrum verba sive potius participia admixta sint compositioni an amborum membrorum locum teneant nomina; de qua diversitate in alterius libri de casualibus capite pauca dicemus.

Jam vero quod ad quintum collectivorum genus attinet, cujus exempla Graeca praesto sunt τριώβολον, τέθριππον[3]), τριοδία, non dubito quin erraverint Indi hujusmodi compositis concedentes peculiarem inter genera locum. Quidnam enim habent haec sibi proprium? Si determinativa exempla saptarshajas (plur. masc.), septem philosophi, et dvj-ahas, duo dies, comparo cum trirâtram (sing. neutr.), trilôkî, nihil prorsus interesse videtur nisi idem quod inter duo copulativa dêva-manushjêshu (plur. masc.) et jûkâ-makshika-matkuṇam (sing. neutr.): conformatio alterius est pluralis, alterius singularis eaque collectiva. Sed id quo niti debet generum compositorum divisio: ratio notionum et significationis, quam ipsa membra inter se habent, haec quidem in omnibus illis determinativis et collectivis exemplis prorsus eadem est nulloque modo differt. Itaque sicut copulativa in neutralem et singularem exitum conformata eoque collectiva quadam natura praedita vix conabimur peculiari inter genera loco digna habere, sed intra copulativorum genus contendemus hanc varietatem exstare, ita eodemque modo quinti hujus generis exempla non alia sunt nisi determinativa ideoque tertio generi ascribenda.

Reliquum est adverbiorum compositorum nominalium sextum genus „avjajîbhâva“, quod suo jure nos quidem silentio praeterire posse jam supra dixi. Id tantum hoc loco notatum velim, inter ea quae Boppius l. c. § 988 affert exempla ἀντιβίην et ἀντίβιον non adverbia composita esse, sed accusativos feminini et neutri generis de nomine composito (possess.) ἀντίβιος declinatos adverbiorumque loco usurpatos. Quo eodem casuum auxilio multa adverbia quasi decomposita de nominibus compo-

---

[3]) Sicut praeter determinativum ἰσόπεδον invenitur etiam possessivum (adjectivum) ἰσόπεδος, ita praeter τέθριππον comp. poss. est τέθριππος; in quibus possessivis eadem manet inter membra determinativa ratio.

sitis derivantur, quae cavendum erit ne composita adverbia habeas.

§ 6.

Cum Indorum et quam Boppius quoque sequitur generum divisionem non satis probaverim, corrigere eam nunc decet et quam accuratiorem velim habeamque declarare. Videamus igitur, quaenam inveniantur in nominibus compositis — ut logicae artis vocabulo utar — dividendi fundamenta.

Ac primum quidem in quaestionem vocanda est compositorum natura quodammodo *externa*, quae totius atque ipsius compositionis propria est ac non singulorum inter se membrorum. Quemadmodum enim supra negavi Indos satis accurate percepisse differentiam quae est inter composita possessiva atque cetera genera eamque eo quo digna est pretio dignam habuisse, ita non dubito quin primum divisionis nostrae fundamentum hoc ipso fundandum sit fundo. Universa enim nomina composita in duas tribuenda sunt partes. Quarum una continet simpliciora ea composita, quae ut ita dicam suis utuntur legibus neque subjuncta sunt alii notioni ipsis membris non significatae, in quibus igitur, si solveris compositionem, ne addi quidem opus est quidquam vel, si est opus aliquando, nihil aliud nisi participium verbi „esse", velut ἀκρό-πολις est ἄκρα πόλις, ἐπι-χθόνιος = ἐπὶ χθονὶ ὤν. Plane diverso modo se habet altera nominum compositorum pars. In quibus ipso componendo alia tertia accedit notio, non expressa membris, sed subaudienda, totius autem compositi tanquam domina[4]), quae suam legem imponit compositioni ejusque membra, quacunque inter se sunt ratione, sibi subjungit, quam igitur, si dissolvitur compositum, pronuntiare necesse est apposito participio verbi „habere" vel simili aliquo: θεοειδής = θεοῦ εἶδος ἔχων. In quorum compositorum dissolutione cum aut utrumque aut id quidem membrum, ex quo alterum pendet, objectum

[4]) Quasi „transcendentalem" dicam, — Philosophiae pace!

fiat appositi participii, ego quidem hoc genus appellatum velim nomine — (ab aliis aliter adhibito) — *objectivorum.* Contra simpliciorem illam compositorum partem, cujus ἀκρόπολις et ἐπιχθόνιος exempla attuli, discerno inscripto titulo: *subjectivorum*, quippe quae, si solvuntur, subjecti casum i. e. nominativum retineant admittantque: ἀκρόπολις = ἄκρα πόλις; objectiva autem poscunt casum objecti i. e. accusativum: μεγάθυμος = μέγαν θυμὸν scil. ἔχων. Agit de objectivorum sive, quo nomine ipse utitur, relativorum natura egregie Justius in libro suo (zus. der nom.) p. 117—118, unde hunc repeto locum: „der durchgreifende unterschied zwischen dieser bezüglichen (relativen) composition und der früher behandelten niedern ist der, dass in dieser das subject *in* dem compositum, dort *ausser* demselben liegt.“ Accuratius etiam dicatur de compositis objectivis, quoniam ipsa membra composita reguntur et *objecta* sunt subaudiendi illius participii possessivi, *subjectum* ejusmodi compositionis positum esse in eo ipso participio. Ceterum hac via fit ut, id quod omnino voluisse videtur lingua in efficiendis talibus compositis, omnia composita objectiva adjectiva sint et in continuatione sermonis aliorum vocabulorum attributa. De qua re pauca addenda erunt in insequentis libri de objectivis capite.

Exstructo hoc primo divisionis fundamento sequitur, ut cetera repetamus ex *interiore* quadam compositorum ratione i. e. ex ea, quam intra compositionis terminos ipsa inter se habent membra. Et quidem, quemadmodum praecedente paragrapho jam indicavi, eaedem inter membra rationes esse possunt, sive tota compositio subjectiva est sive objectiva, et distinguenda erunt copulativa composita a determinativis ut in subjectivorum genere ita etiam in objectivorum. Fit igitur hoc modo, ut ea quam dehinc instituemus divisio in utrumque quod adhuc agnovimus genus dupliciter cadat et, cum in subjectivorum genere inferiore quodam modo exstet, in superiore tanquam gradu repetatur in objectivis. Cui re ne exempla desint, compares ea, quae jam supra adhibebantur: ἰσόπεδον,

τέθριππον, ἀκρόπολις subjectiva atque ἰσόπεδος, τέθριππος, μεγάθυμος possessiva sive objectiva, πατροκασίγνητος atque θεοειδής, ἀνήνωρ (Hom. κ[5]) 301. 341) atque ἄκουρος (η 64).

Est autem secundum divisionis fundamentum ea rationis membrorum diversitas, utrum plane paria inter se sint sive (ni nefas est ita dicere) coordinata an subsit alterius notio alteri sive membra sint inter se subordinata. Illa ratione se habent *copulativa*, hac *determinativa*. Atque de copulativis nihil amplius opus erit dicere; determinativorum natura ea est, ut omnino unum membrum alterum determinet definiatque, quorum illud (determinans) priorem, hoc (determinatum) posteriorem compositi locum, quamvis non utique debeat, tamen solet plerumque tenere.

Deinde in determinativis ratio determinationis triplex esse potest atque tres igitur ejus generis discerno species. Aut enim, si duo membra nomina sunt, eodem, si disjunguntur, utuntur casu unumque est alterius attributum, ut est in ἀκρόπολις. Quam membrorum inter se rationem rectam appellare licebit, composita autem hujus speciei *attributiva.* Aut etiam, si dissolvuntur membra, alterius casus pendet ex altero, ut est in πατροκασίγνητος et ἱππόδαμος; quam rationem appellare licebit obliquam, ejus speciei autem exempla composita *casualia*[6]). Aut denique omnino non ambo membra nomina sunt, sed alterum et id determinans quidem adverbium, velut in ἀγακλειτός; quae composita suo jure vocamus *adverbialia.* (De quibus conferas § 2 et 5). —

Jamque postquam dividendi fundamenta satis disposui, eo perveni, ut quae distincta velim nominum compositorum Graecorum genera ita possim colligere:

I. *Subjectiva.*
 A. Copulativa.
 B. Determinativa.

5) In Homericorum carminum significatione Lehrsii sequor morem: κ est liber decimus Odysseae, Iliadis est K.

6) Nostra eorum appellatio esse solet: abhängigkeitscomposita.

1. Attributiva: ἀκρόπολις.
2. Casualia: πατροκασίγνητος, ἱππόδαμος.
3. Adverbialia: ἀγακλειτός.

II. *Objectiva.*

A. Copulativa.

B. Determinativa.

1. Attributiva: μεγάθυμος.
2. Casualia: θεοειδής.
3. Adverbialia: εὐμενής.

§ 7.

Restat ut hanc meam divisionem breviter comparem cum Indorum illis generibus sex vel potius (*nominum* compositorum) quinque. Quorum primum „dvandva" continet nostra copulativa subjectiva, quae signis notavimus I A. Secundum Sanscritum genus „bahuvrîhi" aequat universa apud nos objectiva: II. Deinde tertium Indorum genus „karmadhâraja" a nobis dispositum est in determinativorum primum et tertium ordinem: I B, 1. 3, compositorum attributivorum et adverbialium. Quartum denique „tatpurusha" nostrum genus est subjectivorum casualium: I B 2. „Dvigu" autem composita quinto loco ab Indis posita annumerari a nobis determinativis iisque attributivis demonstravi jam § 5.

Accuratiorem reddidit Indorum compositorum *nominalium* divisionem jam Justius (zus. der nom. p. 80) hoc modo:

I. Composita nominalia inferioris ordinis.

1. dvandva (copulativa), in quibus coordinata sunt membra.

2. ea composita in quibus membra inter se sunt subordinata (apud nos determinativa).

A. determinativa (apud nos attrib. et adverbial.).

a) karmadhâraja.

b) dvigu.

B. tatpurusha: casualia.

II. Composita nominalia superioris ordinis sunt

1. bahuvrîhi sive relativa, in quibus omnia prioris ordinis genera deinceps redeunt;

2. avjajîbhâva sive adverbialia (adverbia composita).

Apparet, quibus de generibus cum Justio consentiam; dissentio de tribus: primum quoniam avjajîbhâva composita ad meam *nominum* compositorum divisionem non pertinent; deinde quod determinativorum generis *tres* distinguo species, attributivorum, casualium, praeterea adverbialium; denique quod collectiva (dvigu) composita admisceo attributivis. —

§ 8.

Quod in extrema hujus libri paragrapho, priusquam ad singulorum generum compositorum in altero libro quaestionem pergam, notatum observatumque volo, hoc est. Quemadmodum § 3, ubi de decompositis agebatur, demonstravi ἔννομος diversa significatione usurpatum tum decompositum tum compositum esse, ita ipsorum quoque nominum compositorum nonnulla, qua duplice sunt significatione, diversis simul generibus debent ascribi. Et maxime fit nonnunquam, ut compositum aliquod alio loco subjectivam, alio objectivam praebeat significationem. Ita ἄφιλος est οὐ φίλος (= in-imicus) apud Aesch. Sept. 503, at Choeph. 592: οὐ φίλους ἔχων; ἄπαις Aesch. Pers. 582 multisque aliis locis compositum est objectivum: οὐκ ἔχων παῖδας, Eum. 1015 autem est comp. subjectivum, οὐ παῖς ὤν, ad quem locum videas annotationem G. Hermanni. Alia ejusmodi exempla quasi amphibia in insequente libro plura inveniemus.

Ceterum Sanscrita quidem lingua diversas talium compositorum significationes discernere et exprimere solet accentus diversitate, ita ut mahâbâhús comp. sit subjectivum: magnum brachium, contra mahâ'bâhus objectivum: magnum brachium habens (v. Boppii gr. comp. § 979)[7]. Solent enim in illa

[7]) Similiter interdum se habere videtur etiam nostra lingua; haud inutile quidem est observare composita quaedam adjectiva velut: róthgelb. Quod

lingua subjectiva quidem composita accentum in ultima totius compositionis syllaba servare; in objectivis autem retrahitur accentus in priora membra et astrictior ita fit compositio. Significasse videtur lingua hac ratione, quam plane diversa sit natura compositorum subjectivorum et objectivorum et quam recte in hac diversitate ponatur primum et infimum nominum compositorum dividendi fundamentum.

---

comp. est *determinativum* et, ut plerumque solent determinativa nostrae linguae, accentum servat in determinante membro (cf. haúsfrau); contra *copulativum* compositum est sicut schwarzweíss, weissblaú, si pronuntiamus: rothgélb.

LIBER II.

De singulis generibus nominum compositorum Homericorum.

Quemadmodum jam praefatus sum, in altero hoc libro id ago, ut ea quae in priore libro volui nominum compositorum Graecorum genera largioribus exornem exemplis, quorum auxilio qua singula genera sint indole et diversitate accuratius demonstrem. Quae exempla non ex universis litteris Graecis, sed ex Homericis tantum carminibus, Iliade, Odyssea, etiam hymnis, promam; sed ne ea quidem quae inde mihi exscripsi nomina composita omnia adhibere potero neque eorum significationis et membrorum naturam cognitam habeo ad unum omnium. Satis enim multa vocabula Homerica aut dubia sunt etiamnunc aut explicari vix possunt; quorum non sine certis causis major pars composita sunt aut esse videntur saltem. Atqui per se patet, si in qua compositione explicanda sit compositorum membrorum inter se ratio, hoc fieri non posse, nisi cum conformationem tum significationem et ipsius compositi et conjunctorum membrorum habueris satis perspectam. Itaque non probro mihi fore putavi, si ejusmodi vocabulis nimis difficilibus dubiisque aut plane abstinerem aut caute tantum suis locis ea respicerem, aliorum et maxime Curtii, Buttmanni, etiam Pottii secutus interpretationes; omnino autem censui in hoc quidem libello haerendum non esse in longioribus singulorum vocabulorum quaestionibus. Praeterea eadem de causa paene nullam in insequente quaestione rationem habui Homericorum nominum propriorum, de quorum propria natura v. G. Curtii librum „Grundzüge der griech. Etymologie“ ed. II, p. 111.

Satis igitur apparet, quantum absim ut universam nominum compositorum Homericorum multitudinem hoc libello

plane exhauriam; imo id tantum ac potissimum mihi assequendum esse existimavi, ut singula quae in priore libro distinxi genera certis aliquot instruerem exemplis iisque quibus maxime confiderem antiquissimis.

Ceterum ne inutilia proferrem in colligendis exemplis, ita rem institui, ut, ubi pauca alicujus generis inveneram exempla, ea omnia, ubi multa et permulta, eorum pauca singulis ordinibus ascriberem, dummodo uniuscujusque nominum compositorum quasi familiae eandem legem sequentis unum adesset specimen; accedunt hic illic singularia quaedam, in quibus aliquid observari videretur peculiari commemoratione dignum.

Ducemur sane eo generum ordine, qui supra dabatur § 6. Sed unum est, in quo de recta illa via decedere tantum non cogimur.

Copulativa enim composita cum subjectiva tum objectiva perrara esse in Graeca lingua jam supra indicavi; apud Homerum vero hoc compositorum utrumque genus plane deest. Atque apud Aristophanem quidem inveniuntur pauca exempla; deinde recentiores etiam scriptores copulativam interdum compositionem adhibuerunt, velut νυχθήμερον et λευκομέλας; denique nominum numeralium inter se compositorum, quorum in aliis quoque linguis nonnulla annumerari solent copulativis, in Graeca haec quidem eadem sunt natura: ἕνδεκα, δ(υ)ώδεκα, δεκατρεῖς. Sed praeterea cum apud antiquiores poetas maximeque in carminibus Homericis non repererim aliud exemplum, ea quae insequentibus capitibus colligentur composita ad unum omnia erunt *determinativa*. Quamobrem facere non possumus, quin facillimam eam divisionis nostrae mutationem admittamus, ut ejectis hoc quidem in libro duobus generibus copulativis breviorem sequamur generum ordinem hunc:

(Cap.) I. Comp. subjectiva: 1. Attributiva. 2. Casualia. 3. Adverbialia.

(Cap.) II. Comp. objectiva: 1. Attributiva. 2. Casualia. 3. Adverbialia.

CAPUT I.

De nominibus compositis subjectivis.

1. *De attributivis.*

Attributiva quae proprie sic dicitur relatio cum omnino intercedere non possit nisi inter dua nomina, sive utraque substantiva sunt sive adjectiva sive alterum substantivum alterum adjectivum, apparet ne compositorum quidem attributivorum membra alia esse posse nisi aut substantiva aut adjectiva. Namque praeter pronominalia atque numeralia etiam participia adjectivorum nomine hic comprehendere minime dubito. Quae verborum formae quanquam sicut vocantur duarum simul naturarum „participes" sunt, et verbi et nominis, tamen verbalis quidem participiorum natura ita demum valet et agnoscitur, ubi objectum aliquod ab iis pendet, ut est in compositis casualibus. In attributiva autem hujus generis componendi ratione nihil fere interest inter participia atque adjectiva; quiescit quasi, ut ita dicam, verbalis eorum vis, viget sola nominalis.

Ac primum quidem componitur 1) subst. + subst.

Duorum substantivorum attributiva inter se ratio ea est, quae appositionalis vocatur a grammaticis. Cujus tamen simplicis compositionis, qualis est κιτρόμηλον, ἱπποκάνθαρος (nos diceremus „käferross"), apud Homerum nullum exstare videtur exemplum.

Sed potest etiam ea quae cum alio substantivo componitur appositio significationem efficere quandam comparativam. Exemplum Homericum est κυνάμυια Φ 394. 421, quod explicandum erit: musca (tam impudens quam) canis. Non quo ellipsin hic factam esse statuam; sed breviore opinor via linguam ita potius composuisse membra, ut, neque ipsius comparationis neque ullius contractionis in componendo sibi tam conscia, parum quidem accurate at sane poetice duas notiones vocesque in attributivam compositionem conduxerit,

quasi una vere et plane esset altera, quarum tamen similis tantum est inter se natura. Nonne enim eo ipso modo in quotidiano sermone dici solet de aliquo homine „asinum" eum esse vel „vulpeculam"? Videlicet nunquam homo quisquam vere asinus est neque alia bestia, sed nihil aliud de tali homine dicitur nisi tam callidum vel stupidum eum esse quam vulpes est vel asinus inter bestias, quae tamen comparatio contrahi solet. Apparet hanc linguae consuetudinem proficisci ex generali quadam breviloquentia comparandi, quae potius ni fallor breviloquentia est in ipso attribuendo, ea, ut „pro parte totum", pro virtute quadam vel vitio alicujus rei proprio res ipsa attributi loco adhibeatur in alias res hominesque. Est igitur ejusmodi compositio vere attributiva eaque appositionalis et in exemplo illo κυνάμυια duorum membrorum inter se ratio eadem est quae in μητρόπολις et κιτρόμηλον, ut musca dicatur canis esse, sicut urbs mater appellatur (coloniarum scilicet) et malum quoddam accuratiore nomine citrium.

Ceterum in Graeca lingua rara est hujusmodi compositio appositionalis et apud Homerum praeter illud κυνάμυια aliud exemplum inveni nullum. Paulo crebriora efficit nostra lingua, comparativa potissimum: windhund, rabenmutter.

2) Adj. + subst.

Ne hujusmodi quidem compositorum quamvis simplicium Graeci sunt amantiores. Homerica haec reperi exempla:

ἰσόπεδον N 142, (nostrum „blachfeld"); – ὠμογέρων Ψ 791; – ἀκρόπολις ϑ 494. 504 (cf. Z 257: ἐξ ἄκρης πόλιος); — Κακοΐλιος Od.; — etiam ὁμήγυρις Υ 142. hymn. (ὁμός an ὁμοῦ? + ἄγυρις). Deinde mutata paululum posterioris membri in componendo forma: μέσαυλος (αὐλή); — μεσόδμη Od. (contractum ex μεσοδόμη sicut δίφρος ex διφόρος); — πρυμνώρεια Ξ 307 ex πρυμν–ωρεσ–ια (ὄρος), cujus suffixum -ια ad totam pertinet compositionem. Denique ψευδάγγελος O 159, si quidem recte explico ψευδὴς ἄγγελος.

Tum vero vix dubito, quin hic suum locum habeant Παναχαιοί, Πανέλληνες B 530; atque etiam πανάργυρος Od., πάγ-

χαλκος Od., πάνορμος ν 195, quae dissolvenda erunt πᾶς ἄργυρος, χαλκὸς ὤν, quin etiam πᾶς ὅρμος ὤν i. e. aptissimus ad appellendas naves, de commodis portubus dictum. (Conferas Sophocleum illud ἡ πᾶσα βλάβη similiaque.)

Οὐλόποδα, οὐλοκάρηνα h. 3[1]), 137, explicari solent ὅλοι (οὖλοι) πόδες, ὅλα κάρηνα; (diversum est sane οὐλοκάρηνος τ 246 comp. objectivum = οὖλον, δασὺ κάρηνον ἔχων velut οὐλόθριξ). Dubitatur de h. 3, 75 πλανοδίας (acc. pl.), quod aut comp. subj. est hujusque generis: „irr-weg" aut comp. obj.: „irrwege gehend".

Nescio an recte ascribam μισγ-άγκεια Δ 453 (μίσγω, ἄγκος): ἄγκος ἐν ᾧ (οἱ χείμαῤῥοι) μίσγονται sive potius ἄγκος (τοὺς χειμάῤῥους) μίσγον.

Praeterea crediderit aliquis composita quaedam qualia sunt βαθυῤῥείτης, ἑκατηβελέτης annumeranda esse huicce ordini, ac Justius quidem habet annumerata (l. c. p. 94: ἀκαλαῤῥείταο). Neque ea tamen censeo composita esse ex adj. + subst.; nam quis unquam legit substantiva ῥείτης, βελέτης? — neque attributiva ratione confecta; sed potius coierunt participia, in compositione suffixo ετης conformata, atque adverbia (neutra) adjectivorum; videas igitur adverbialium generis speciem 3).

Contra hic nobis accedunt composita illa Indorum „dvigu", collectiva in singularem exitum conformata, quorum Homericum exstat unum exemplum: ἑκατόμβη (= ἑκατὸν βόες)[2]). Aliud est πένταθλον, Latina quinquertium, quinquennium.

3) Subst. + adj.

Inveni Homerica exempla haec:

κασίγνητος (κάσις et partic. radicis gan, γεν, γίγνομαι), κασιγνήτη; — οὐλόχυται (οὐλαί). Deinde comparativa hujus generis composita sunt μελιηδής (ἡδύς) et ἀρηίθοος Il., cujus equidem ex-

---

[1]) i. e. h. Merc.; numeris utor editionis Baumeisteri Teubnerianae.

[2]) Non assentior Justio, qui p. 125 comp. possessivum esse affirmet: „(sacrificium) centum boves habens". Imo potius „centum boum grex" videlicet sacrificandorum.

plicationem praefero: tam celer quam Mars; conferatur enim θοῷ ἀτάλαντος Ἄρηι Θ 215. Ν 295 compluribusque aliis locis.

Participia admissa esse videntur in hujusmodi compositiones easque comparativas in ἁλι-πόρφυρος ζ 53. 306. ν 108, ut significatio sit: purpureo sicut maris est colore tinctus (πορφύρων), atque βουγάιε Ν 824. σ 79 (γαίων), si quidem hoc recte huic generi annumero, in quo tamen ipse mihi diffido.

4) Adj. + adj. (partic.).

Homeri exempla colligo haec:

πρωτόγονος Δ 102 = 120 = Ψ 864 = 873: „primogenitus[3]"; — πρεσβυγενής Λ 249; — οἰοπόλος (οἶος), diversum ab alio οἰοπόλος h. 3, 314, composito casuali ab οἶς deducendo, et ἀκροπόλος = ἄκρος πέλων Ε 523. τ 205. h. 4, 54; — ἁλιοτρεφής δ 442 (ἅλιος) et ἀπαλοτρεφής Φ 363, hoc quidem, ut videtur, ea natura, ut explicari possit τεθραμμένος ὥστε ἀπαλὸς εἶναι (σίαλος) cum anticipata quasi adjectivi et participii relatione sive quam grammatici vocant prolepsi.

Etiam αὐτόματος Il., quandoquidem interpretandum erit αὐτὸς μεμαώς, suo jure hic ascribo, quod quominus faciam vix obstat participii passiva forma (v. p. 33).

Quod attinet ad haecce: ὁμῆλιξ Ι 54. Od.; ὁμηγερέες; ὁμότροφος h.; ὁμόσπορος h. 5, 85, quorum tria passivam adhibent participii significationem, rectius statuendum erit priora membra esse adverbium ὁμοῦ quam adjectivum ὁμός; sunt igitur ex numero eorum, quae priore compositionis loco adverbium adjectivi habent, sicut παγχρύσεος, νεότευκτος similiaque, adverbialibus igitur compositis annumeranda. —

Ceterum subjectiva quidem haec attributiva composita Graeca lingua non adamavit, multo magis ea quae in capite altero tractanda erunt attributiva objectiva.

---

[3]) Participiali hoc in componendo suffixo -ος (olim a) et activa effici participia et interdum passiva infra etiam videbimus; eodem modo se habet-ης.

2. *De casualibus.*

Quod in primo attributivorum genere licuit, participia verborum in componendo adhibita admiscere adjectivis, id ne faciamus cavebimus in hoc genere, in quo verba regere solent altera quibuscum composita sunt membra. Ejusmodi igitur hujus generis species a ceteris discernentes primum exempla promemus duorum compositorum substantivorum et adjectivorum, tum demum ea, in quibus dominantur participia.

1) Subst. + subst.

Casualis duorum substantivorum ratio ea plerumque est, ut unum determinetur alterius casu genitivo. Quae quam prope absit ab attributiva illa adjectivi cum substantivo, qua est omnino casus genitivus cum adjectivis cognatione, nemo nescit, hujusque speciei exempla quodammodo in confinio sunt primi illius et secundi hujus generis.

Homerica exemplaria non ita multa quae habeo enumero omnia:

δημογέρων Γ 149, Λ 372; — μητροπάτωρ Λ 224; — ἱππόδρομος Ψ 330; — τὰ δίσκουρα Ψ 523 (= δίσκου οὖρα Ψ 431); — δάπεδον Δ 2. Od. h. = „erdboden“; — οἰνόπεδον I 579 (: οἰνόπεδος Od. h. 3, 207 = ἰσόπεδον : ἰσόπεδος); — θειλόπεδον η 123 sive εἱλόπεδον, si de εἵλη est derivandum; — ἁρματροχιή Ψ 505; — ἱστοπέδη μ 51 = 162 = 179; — ὀρείχαλκος h. 6, 9; — ζυγόδεσμον Ω 270; — παμμήτειρα h. 30, 1: μήτηρ πάντων; — αἰγυπιός (αἴξ + γύψ); quod comparatur cum nostro „lämmergeier“; ἁλοσύδνη Υ 207, δ 404: nata maris, si Lobeckio et Curtio obsequendum est, v. „Grdz. d. gr. Et.“ p. 578.

Non exstat extra compositionem posterius membrum compositorum κρήδεμνον atque ἀκμόθετον Σ 476. θ 274 (ἄκμων).

Denique hinc non depellam ποδάνιπτρον τ 343. 504, quaecunque est prioris membri formatio.

2) Subst. + adj.

Nisi nefas est juxtapositiones quasdam praemittere hujus

ordinis compositis, incipio a καρηκομόωντες et ὀνομάκλυτος X 51. h. 3, 59, in quibus priorum membrorum cum alteris ratio est casus accusativi. Nam ut ὀνομάκλυτος ita hic explicem atque possessivum compositum esse negem, maxime commoveor, quod h. 4, 111. 146 legitur ὄνομα κλυτός bipartito scriptum. Proxime accedunt ad illa et cum dativi quidem prioris membri forma et significatione: δουρικλυτός et δουρικλειτός, ναυσικλυτός Od. et ναυσικλειτός ζ 22. h. Vera autem composita sunt:

θεοείκελος, unde etiam contractior forma deducitur θέσκελος; — οἰνοβαρής Α 225 = οἴνῳ βαρύς, et χαλκοβαρής Ο 465. Od., cujus feminini munere fungitur χαλκοβάρεια.

Quaeritur, quid sentiendum sit de compositis ἰσόθεος atque ὠκύαλος Ο 705. Od. Et illud quidem Justius l. c. p. 121 haberi vult compositum objectivum: deum par (acc. neutr.!) vel parem habens; quae tamen explicatio mihi valde displicet nimiumque in se habet artificiosi contortique. Namque si justa hac utor sententia, ut respiciendam esse putem in explicandis compositionibus consuetudinem sermonis soluti, vix unquam quemquam Graecorum censeo dixisse: hominem aliquem θεὸν ἶσον ἔχειν, sed semper multo simplicius: θεῷ ἶσον αὐτὸν εἶναι. Hoc si tenebimus, ἰσόθεος cum trajectione quadam sive inversione membrorum effectum esse non negamus, sine dubio autem etiam ὠκύαλος, quod casum posterioris membri habet locativum. Praesto sunt praeterea exempla Aeschylea: ἰσοδαίμων et κρεισσότεκνος = τέκνων κρείσσων Sept. 765 (784), quanquam hoc quidem Hermannus aliter emendatum vult. Neque omnino linguam in componendo plane abstinuisse credo a licentia quadam, ut ab inversione membrorum non abhorreret; commovebatur fortasse commodiore interdum ad versum conformatione, de intelligenda autem significatione semper confidebat soluti sermonis dicendi consuetudine.

3) Subst. + particip.

Agemus primum de participio activo, deinde de passivo;

simulque ducemur etiam singulis qui ex participiis pendent substantivorum casibus.

Ac primum quidem participii activi (praesentis) cum accusativo casu compositionis exempla apud Homerum sunt innumera, ex quorum multitudine sufficiat elegisse pauca:

βουληφόρος; — ἡνίοχος; — οἰνοχόος; — ξεινοδόκος, ἱστοδόκη Α 434. h. 2, 326, δουροδόκη α 128; — βουκόλος, si quidem hoc derivare licet de κέλ(ομαι); — λαοσσόος (σεύω) et πολισσόος h. 8, 2, quod igitur significabit: urbes concutiens; cf. etiam Aeschyleum δορυσσόος, Pindaricum ἱπποσόας, ἱπποσόα; — θυμοφθόρος; — θυμοβόρος Il. (βιβρώσκω, rad. βορ); — δρυτόμος Il. (τέμνω); — ἀνδροφόνος et ἀνδρειφόντης Il. (r. φεν), fortasse etiam πατροφονεύς Od., nisi rectius dissolvendum est πατρὸς φονεύς ideoque primae hujus generis speciei ascribendum; — μογοστόκος Il. h. (ἔτεκον), si quidem recte ejus significatio deducitur ex Λ 269—271: dolores gignens; — ἱππόδαμος et πανδαμάτωρ Ω 5. ι 373; — ἐγχέσπαλος Il.; — ἀνδροφάγος (ἔφαγον) κ 200, similiaque.

Accedunt εἰροκόμος (κομέω r. κομ) Γ 387; — σηκοκόρος (κορέω r. κορ) ρ 224; — θυοσκόος (r. [σ]κοϝ, skav, v. Curt. l. c. p. 140) Ω 221. Od.; — πάναγρος Ε 487 et πυράγρα Σ 477. γ 434 (ἀγρέω), quibus addo decomposita ζωάγρια, ἀνδράγρια, μοιχάγρια; — πυλαωρός Il. et θυραωρός Χ 69 (r. ϝορ, Curt. p. 311); — ὀμβριμοεργός Il., δημιοεργός Od., κακοεργός σ 54, etiam κλυτοεργός θ 345, quae deducenda erunt de rad. ϝεργ (ἔρδω) et explicanda ὄμβριμα etc. ῥέζων. — Quod ad βροτολοιγός et ἀθηρηλοιγός λ 128 = ψ 275, haud ineptum esset asserere ea huic numero et deducere de radice nominis λοιγός: λυγ (Scr. ruǵ frangere); sed si derivata sunt de ipso substantivo, composita erunt objectiva: hominum, hominibus exitium habens, ferens.

Alio modo formata sunt posteriora membra in his:

θυμοδακής θ 185; — θυμηδής (ἥδω) π 389, quo tamen loco Bekkerus aliter scripsit; δολοφραδής h. 3, 282 et κακοφραδής Ψ 483 (φράζω); — κακομηδής h. 3 389 (μήδομαι); —

αἰνοπαθής σ 201 = αἰνὰ πάσχων; — ni fallor etiam θεουδής ζ. Od. (ex θεο-δϝης?).

Denique ejusdem ordinis sunt:

παρθενοπίπης (r. ὀπ cum reduplicata et quasi frequentativa forma) Λ 385; — νεφεληγερέτα et quod ab hujus analogia abesse non potest στεροπηγερέτα Π 298 (ἀγείρω); — ἱππηλάτα (ἐλαύνω); in cujus quidem analogiam vix possum facere quin ascribam ἱπποκέλευθος Π 126, (cum aucta stirpe verbi κελεύω); — συβώτης Od. quod a βόσκω deducitur; — θυμοραϊστής Il. et κυνοραιστής ρ 300 (ῥαίω); — πυλάρτης (ἄρω); — ὠμηστής (r. ἐδ, ἐσθίω) Il. cf. ὠμοφάγος; — πολυδέκτης h. 5, 9 et πολυδέγμων h. 5, multos recipiens, de Plutone dicta. Simili conformatione sunt μηλοβοτήρ (βόσκω) Σ 529. h. 3, 286 et feminina πουλυβότειρα et ληιβότειρα σ 29: βοσκομένη λήιον; — οἰνοποτήρ (r. πο, pâ) θ 456; — ἀμαλλοδετήρ (δέω) Σ 554.

Reliqua sunt γαλαθηνός δ 336 = ρ 127 (Curt. p. 227); — ἰοχέαιρα (χέω, v. Kuhn, Ztschr. f. vgl. Sprachfrschg. II, 80); — βουπλήξ Ζ 135; — πολύτλας (πολλά, τλῆναι); — χέρνιψ (r. verbi νίζω) Od., cujus decompos. est χέρνιβον Ω 304.

Participii formam praebere videntur passivam, sed significationem postulare activam: ἱππήλατος (cf. ἱππηλάτα) Od.: νῆσος, γαῖα = ἐν ῇ ἐλαύνονται ἵπποι; — ὀδυνήφατος Il. (r. φεν; contra pass. ἀρηίφατος); — et maxime ἱππόβοτος, αἰγίβοτος Od., βούβοτος ν 246 (cf. εὔβοτος ο 406), quae composita ex βό-σκω derivata significabunt: equos, capras, boves pascens. Etenim quid mirum est, si Graeca quoque, sicut Sanscrita lingua, participiis in — ta, — το formatis iisque plerumque passivis interdum etiam cum activa utitur significatione, praesertim in componendo? Conferas Latina participia potus, pransus cum activa significatione, Graece etiam συνετός intelligens, similiaque nonnulla; quin etiam fortasse nostrum „bedienter" = bedienender. — Praeterea cf. jam supra αὐτόματος et infra p. 38 et 45.

Hoc loco ut etiam de comp. βουλυτός (βουλυτόν-δε Π 779

= ι 58) dicam quid sentiam, vix aliter explicari poterit nisi „solutio boum“ sive potius „τὸ τοὺς βοῦς λύειν.“ Exemplum igitur est adhibiti in compositione infinitivi, nominali scilicet forma induti, sicut φιλομαθής, v. lib. I, § 1. —

Sequuntur ea composita participialia, in quibus de activo participio alius atque accusativus casus pendet: maxime dativus vel (quamvis Graece jam non exstet) locativus.

Complura primum habeo exempla Homerica participio verbi πέλω formata: ὀνειροπόλος Α 63. Ε 149; οἰωνοπόλος Α 69. Ζ 76; ἱπποπόλος Ν 4. Ξ 227; αἰπόλος ex αἰγ-π.; θαλαμηπόλος Od.; οἰοπόλος h. 3, 314 (οἶς); θεμιστοπόλος h. 5., quorum igitur posterius membrum significare videtur: versatus in aliqua re; sed δικάσπολος Α 238. λ 186 in priore membro nominali formam adhibuit casus *accusativi* pluralis.

Alia exempla sunt:

ἁλίπλοος Μ 26 (πλέω); — ἱππομάχος Κ 431; — βοηθόος Il. (= εἰς βοὴν θέων; apud posteriores scriptores βοηθός, unde βοηθέω); — χειμάρροος sive χείμαρρος Il.; — ὀρεσκῷος (κεῖμαι, rad. κι, κει) Α 268. ι 155. h.; — πυληδόκος h. 3, 15 (ἐν πύλῃ); — ἀκροπόρος γ 463 (ἄκρῳ πείρων); — ὁδοιπόρος Ω 375 et ποντοπόρος (πορεύομαι? si quidem negligere licet β 434: πεῖρε κέλευθον, v. Curt. p. 245 sq.); — etiam ἐγχεσίμωρος, ἰόμωρος Il., ὑλακόμωρος Od. hic videntur ascribenda.

Deinde μενοεικής (μένος, εἰκώς); — διιπετής (r. πετ: de coelo lapsus; h. 4, 4: in coelo volans); — ποδάρκης Il. pedibus valens cf. γυιαρκής Pind.; — κηώδης Ζ 483 et θυώδης Od. h. (ὄζω); — ἀνεμοσκεπής Π 224; — γυναιμανής Γ 39 = Ν 769. h. 34, 17; — ἁλιαής δ 361; — οἰνοπληθής (πλήθω) ο 406; — δορυσθενής et πυραυγής h. 8, 3. 6 (ubi magnam societatem habes compositorum); — ἁλιμυρήεις Φ 190. ε 460 (cujus de exitu conferas ὑψιπετήεις, βαθυδινήεις, ποτιφωνήεις); — ἠεροφοῖτις (φοιτάω) Il.

Denique ἀστυβοώτης Ω 701: κατ' ἄστυ βοῶν; — πολυσημάντωρ h. 5: πολλοῖς σημαίνων; — τειχεσιπλήτης Ε 31 = 455 (πελάω) et ἐντεσιεργός (r. Ϝεργ) Ω 277.

Praeterea conferas, quod exeunte capite II dicetur: p. 53 sq.

Pergimus ad participium passivum (praeteriti), quod plerumque conjunctum est cum casu nominis dativo. Exemplorum Homericorum, quae minus crebra sunt quam activi participii, eligo haec:

ἀνδρόκμητος (κάμνω, ἔκαμον transit.) Λ 371; — μελίκρητος (κεράννυμι) κ 519 = λ 27; — αἱμοφόρυκτος υ 348 (φορύσσω σ 336); — θέσφατος[4]; θέσπις activam potius quam passivam participii (r. σεπ) habebit significationem: per deum dicens, canens, sonans; conjungitur enim cum vocabulis ἀοιδός, ἀοιδή, ἄελλα (v. Buttm. Lexil. 42).

Deinde δουρίκτητος I 343, in quo ipsius casus dativi forma adhibita esse videtur perinde atque in ἀρηίφατος, ἀρείφατος (rad. φεν, cf. μυλήφατος β 355) et in κηρεσσιφόρητος Θ 527. Ceterum sicut θεσπέσιος, θέσκελος fecerunt jam apud Homerum, ita ἀρηίφατος et alia nonnulla composita apud insequentes scriptores posteriorum membrorum notiones saepe exstinxerunt; quod satis notum est.

Accedunt ἀλλόγνωτος β 366, nisi potius alterum membrum adjectivum esse statuendum est (γνωτός = notus) quam participium; — αὐτοδίδακτος χ 347 = ὑφ' (ἑ) αὐτοῦ διδαχθείς; — αὐτάγρετος (ἀγρέω) π 148. h. 3, 474 = 489. = ὑπ' αὐτοῦ αἱρεθείς.

Vix quisquam opinor in eo offendet, quod in hujusmodi compositis haec participii passivi forma adhibita est, qua postea Graeci uti et quodammodo abuti solebant ad effingenda adjectiva verbalia in-τός exeuntia; antiquitus enim in linguis Indoeuropaeis suffixum illud proprium est participii potissimum praeteriti passivi, cujus rei etiam in Graeca lingua extra compositionem apud Homerum certe satis multa exstant exempla: ἀγαπητός, ποιητός, τυκτός aliaque. Jam recentioris con-

---

[4]) Nec minus recte θεσπέσιος (r. σεπ, v. Curt. p. 410 sq.) hic annumeraretur, nisi decompositum esse videretur de quodam „θέσπετος" deducendum (suff.-ιο).

suetudinis i. e. adjectivi verbalis exemplum est in composito κοτυλήρυτος Ψ 34 (ἀρύω) et maxime haud paucis in compositis quae infra sequentur adverbialibus, ut εὐήρυτος h. 5, 106: (aqua) quae bene hauriri *potest.*

Ascribo etiam huic ordini ἀρηικτάμενος Χ 72 et δαϊκτάμενος, quae tamen proxime absunt a juxtapositionibus.

Tum vero: διοτρεφής similiaque; — διογενής, πυλοιγενής (loc.) Il. aliaque complura; — θυμαρής, θυμήρης Od. h. (ἄρω cf. Α 136): animo accommodatus, acceptus; — χαλκήρης aere aptatus; — κυκλοτερής (τείρω) Δ 124. ρ 209 (εἰς κύκλον); — denique κεντρηνεκής Ε 752 = Θ 396: κέντρῳ φερόμενος; sed ποδηνεκής Il., si quid video, cum mediali verbi significatione: usque ad pedes φερόμενος = dependens, similiterque δουρηνεκές Κ 357 (sicut nos quoque dicimus de hasta „tragen“ = „reichen, fliegen bis ...“): quoad hasta fertur. Sed quae est in hoc vocabulo duorum membrorum inter se ratio? Eritne solvendum: τὸ φερόμενον an τὸ φέρεσθαι („die tragweite“) τοῦ δόρατος?

Reliqua habeo nonnulla, quae activam adhibuerunt participii formam, significationem passivam. Praeter ὀρεσίτροφος (locat.), χαλκότυπος Τ 25 et χοροίτυπος h. 3, 31 (ἐν χορῷ τυπτόμενος) imprimis dico αἰθρηγενέτης ε 296 = αἰθρηγενής; — ἱπποκορυστής Il. et χαλκοκορυστής Il. h. 8, 2: κεκορυθμένος χαλκῷ, haec quidem in similitudinem conformata simplicis vocis κορυστής. Neque praetereundum est αἰγίλιψ, quandoquidem explicatur: a capris relictus. — Licet fortasse cum his quae modo attuli exemplis comparare quotidiana illa nostra „hinterlader“, „bettvorleger“, quae ipsa quoque participii formam habent activam, significationem passivam.

4) Partic. + subst.

Omnia quae in hac specie restant casualia exempla eadem illa membrorum inversione sive trajectione effecta sunt, qua linguam audacter nonnunquam usam esse jam supra dixi, nec discrepant a praecedentibus nisi hoc alio membrorum ordine. Quod ad prioris membri, participii, conformationem, conferas

Boppii gr. comp. § 914; sed pauca etiam infra a nobis annotanda erunt.

Ducant agmen exemplorum Homericorum participia cum accusativo nominis conjuncta, activa scilicet:

ἐχέφρων I 341. Od.; — ἐχέθυμος θ 320: animum habens, cohibens; — nonne etiam ἐχεπευκές (βέλος) A 51. Δ 129? v. Buttm. Lexil. 6; derivatum autem habeam de conjiciendo quodam πεῦκος: acies, unde etiam περιπευκές (βέλος Λ 845), comp. object., originem habebit, it aut comparari possit: περικαλλής : κάλλος = περιπευκής : πεῦκος. — Deinde μενεπτόλεμος, μενεχάρμης Il., μενέχαρμος Ξ 376 (χάρμη), μενεδήιος Il.: μένων τοὺς δηίους; — ἑλκεχίτων N 685. h. 1, 147; — ἀγελείη (λεία); — ἐγρεμάχη h. 5, 424; — φέρασπις h. 8, 2; — φυγοπτόλεμος ξ 213; — ἠλιτόμηνος T 118: τὸν μῆνα (= suum, justum mensem) ἀλιτόμενος. Neque ἀγαπήνωρ hinc poterit depelli, quanquam dubito de explicatione.

Annumero etiam ταλαεργός Ψ. Od. h. 3, 568, ταλαπενθής ε 222, ταλαπείριος Od. h. 1, 168, derivata de quodam ταλάω = τλάω; — nec minus ταλα-ύρινος Il. recte accedit (v. Curt. p. 497); contra ταλάφρων N 300 aeque atque apud alios scriptores ταλακάρδιος comp. object. est idque attributivum: perferentem animum habens.

Homerica exempla quae a φιλο- incipiunt ipsa quoque hic annumeranda sunt; prius enim membrum illud φιλ-ο- stirpem esse puto verbi φιλ-έω nondum suffixo -έω auctam, unde etiam profectae et relictae sunt aoristi simpliciores et antiquiores formae φίλατο, φίλωνται, φῖλαι. Numero sunt hujusmodi composita apud Homerum[5]) duodecim: φιλοπτόλεμος Il., φιλήρετμος Od., etiam φιλομμειδής (Curt. p. 295); ceteraque.

Vocalem ι ad conjungenda membra adhibuerunt: εἰλίπους (ἑλ-ύω, εἰλ-ύω, Curt. p. 322), si recte obtineo veterem explicationem: „schleppfüssig“ pedes trahens; — κυδιάνειρα Il. (r. κυδ, κυδαίνω); alia infra sequentur (p. 39).

---

[5]) Ad quorum similitudinem recentiores effecerunt μισολάκων, μισολάμαχος, μισόπολις, aliaque ex μισο- (μισ-έω) conformata.

Jam vero ad ea pervenio, quorum prius membrum formatum est auxilio syllabae -σι-. De quibus praefandum est aliquid. Quaeritur enim, quonam jure ea hic apponam et quid sentiam de participii in iis formatione. Atque hoc quidem mihi constat, significationibus eorum tantum concedendum esse, ut omnino participia eaque activa priorem in iis locum tenere liceat contendere. Atqui quaenam dicam participia an quas formas nominales participiorum loco positas? Ego quidem vix facere possum quin participia esse conjiciam forma quidem passiva (in - τος), significatione autem activa, respiciens ea quae supra dixi p. 33. Quid enim? compares quaeso compos. objectivum (idque attrib.) ἀεσίφρων = „ἀασθεὶς φρεσίν“ (φ 301) sive potius ἀασθεῖσαν φρένα ἔχων (Buttm. L. 55), ubi igitur habes passivam prioris membri notionem. Quod autem ad significationem activam, conferas etiam ταλασίφρων = ταλάφρων, κλεψίφρων h. 3, 413, quod quidem explico κλέπτουσαν φρένα ἔχων, τλησικάρδιος Aesch. (τλητός Ω 49 perferens) = ταλακάρδιος, composita attributiva objectiva; subjectivum est διαδρασιπολῖται: aufugientes cives. Praeterea de conformatione participii in -σι hoc tantum addo in suffixa syllaba participii -το, -τι ante insequens ι litteram τ mutatum mihi videri in σ, quod apud Graecos saepius fieri satis notum est; servatum est -τι in βωτι-άνειρα A 155. h. (cf. etiam Just. l. c. p. 107). Ut plura de illorum compositorum formatione disputemus, non propositum est nobis in hac quidem de significationis generibus quaestione. (Sed cf. etiam p. 33 et infra p. 45.)

Itaque si quidem omnino obtinemus activam prioris membri significationem atque verbalem et casualem inter membra rationem, recte hic ascribo nomina composita qualia sunt: πλήξιππος Il. h. 5, 474 equos stimulans; — φθισήνωρ Il., φθισίμβροτος N 339. χ 297; — ἀερσίπους Il., ἀρσίπους h. 4, 211; — ῥυσίπτολις Z 305 sive ἐρυσίπτολις h.; — τανυσίπτερος (τανύω) Od. h.; — ἑλκεσίπεπλος Il.; — φερέσ(ι)βιος h., in quo versus hexameter illud ι expulisse videtur. Inveni talia apud Homerum duodeviginti.

Contra caveo, ne his annumerem quaedam, in quibus etiam

ι vocalis accessit ad ipsam radicem verbi quaeque ascribenda erant supra p. 68. De ἀλεξίκακος K 20 et ἀλεξάνεμος ξ 529 (ἀλέξω) nemo dubitabit; sed quid sentiamus de εἰνοσίφυλλος, ἐνοσίχθων, ἐννοσίγαιος (rad. ὀθ, v. Curt. p. 235); λησί-μβροτος h. 3, 339 (λήθω); denique βρισ-άρματος h. 8, 1 (βρίθω)? Nihil aliud opinor nisi in his etiam θ ante insequens ι mutatum esse in σ.

Claudunt horum exemplorum agmen ea, in quibus alius atque accusativus casus ex participio pendet; Homerica sunt: ἀπτοεπής Θ 209 = ἔπεσιν ἁπτόμενος; — τερπικέραυνος: κεραυνῷ τερπόμενος; — φασί-μβροτος Od. = τοῖς βροτοῖς φαείνων; — tum vero ἁμαρτοεπής N 824 et ἀφαμαρτοεπής Γ 215 (cf. λ 511: „ἡμάρτανε μύθων"); — ἀρχέκακος E 63 (κακῶν); — λαθικηδής X 83 (κηδῶν; λαθ, λέλαθον cf. O 60). —

Restat denique unum exemplum, in quo participii priore loco positi significatio passiva esse videtur: μιαιφόνος Il., quod explicatur ex μιασιφονος (μιαίνω; μιασι- = μιατι-, μιατο-) cruore maculatus; sicut ταλασίφρων a Sophocle contrahitur in ταλαίφρων. —

Ac tantum quidem dictum sit de nominibus compositis subjectivis casualibus; pergimus tandem ad adverbialia.

3. *De adverbialibus.*

Distinguenda sunt in hoc genere composita ex adverbiis et substantivis, alia ex adverbiis atque adjectivis (participiis) effecta; duplex autem in utroque hoc ordine species. In adverbiorum enim cum substantivis compositione incidimus primum in quaedam exempla, quorum prius membrum, quamvis adverbium sit, tamen attributivam quandam rationem habere videtur cum substantivo, adjectivi quasi loco positum. De qua specie primum agemus; de alia casuali quadam secundo loco; tum demum tertio et quarto de adverbiorum cum adjectivis compositione: tertio de adverbiis adjectivorum cum aliis adjectivis compositis; quarto de veris adverbiis (particulis) consociatis cum adjectivis.

1) Adv. + subst. (attrib.)

Enumero statim, quibus quidem opus est, exempla Homerica:

ἐπίουρος N 450. Od. (οὖρος) aliaque complura cum ἐπί composita; — πρόδομος; — μετάγγελος Il. de Iride: „internuntia"; — συνέριθος ζ 32; — εἴσοδος κ 90; — ὑποδμώς δ 386; — πρόθυρον, in Il. (et h. 3.) = „vorthür", in Od. promiscue etiam = τὸ πρὸ θύρας (v. infra 2) ut π 159 κατ' ἀντίθυρον = exadversum januam; — etiam πρόσωπον „angesicht"; (contra μέτωπον explicari solet: quod inter oculos est = frons;) — ἔναυλος (αὐλός Il.; αὐλή h.); — πρότονος et ἐπίτονος μ 432, si non de verbis προτείνω, ἐπιτείνω, sed, quod praestat, de nomine τόνος (funis) deducenda sunt; — denique, si Pottium sequimur, ἄποινα (ποινή) ex ἀπόποινα Il. h. 4, 210 (cf. ἀμφορεύς ex ἀμφιφ. et fortasse ἀγήνωρ ex ἀγανήνωρ). Deinde: ἡμίονος, ἡμίθεος M 23. h., ἡμιτάλαντον Ψ, ἡμιπέλεκκον Ψ.; — ἀγήνωρ = ἄγαν ἀνὴρ ὤν; — ζάθεος Il. h. et ἠγάθεος; — ἀνήνωρ κ 301 = 341, ἀφρήτωρ I 63 = οὐκ ἀνὴρ, οὐ φράτωρ ὤν; — Ἄιρος σ 73 = κακὸς Ἶρος, cf. ἄναες νᾶες Aesch. multaque alia, etiam Δύσπαρις Γ 39 = N 769 et δυσμήτηρ ψ 97.

Jamque igitur apparebit, quamnam dixerim in his compositis rationem attributivam. Omnia enim haec ita facta sunt, ut in disjunctione eorum facillime in adverbiorum loca succedere possint adjectiva vel participia: εἴσοδος est ἡ εἰς (ἄγουσα) ὁδός; ἀγήνωρ = ἀγαθὸς ἀνήρ; παλίωξις Il. = ἡ πάλιν ἴωξις, ἰωκή. Comparanda autem erit Graecae quidem linguae commodissima illa dicendi consuetudo, ut adverbium aliquod interjici possit inter articulum et nomen cum attributiva vi adjectivique loco: οἱ νῦν ἄνθρωποι.

2) Praepos. + subst. (casual.)

Alia est eorum compositorum natura, in quorum significatione substantivi casus ab adverbio vel potius, — quae semper est, — a praepositione regitur. Repetitur ita quodammodo, sicut modo attributivum, etiam casuale inter adverbialia genus. Exempla Homerus habet permulta; sufficiunt nobis pauca:

ἀντίθεος = ἀντὶ θεοῦ (cf. Θ 163: γυναικὸς ἄρ' ἀντὶ τέτυξο), ἀγχίθεος Od. h. 4, 200; — ἔμπεδος (πέδον), ἐνδέξιος (δεξιά), ἔμφυλος ο 273: ἐν τῷ (sc. αὐτῷ) φύλῳ ὤν, ἐπήρετμος β 403, sed ceteris (quinque) Odysseae locis de navibus: remos secum habens (comp. obj.); — περίμετρος Od. = περὶ μέτρου, περίαλλος, περίαλλα (adv.) h. 19, 46: περὶ ἄλλων; — ὑπονήιος (Νήιον) γ 81; — ἀμφίβροτος Il.; — ὑπερδεής Ρ 330, quod explicatur: ὑπὲρ δέους ὤν (cf. nostrum „darüber hinaus sein"); — κάμμορος Od. = κατὰ μόρου ὤν; — ἐπίορκος Il. = contra jusjurandum (faciens, factum); — πρόῤῥιζος Il.: πρὸ sive ἐκ ῥίζης, radicitus exstirpatus, προθέλυμνος Il. = ἐκ, πρὸ θελύμνων[6]).

Suffixis ο, ιο aucta sunt:

ἀγχίαλος Il.; ἔφαλος Il. h. 2, 232; ἔναλος h. 2, 2; εἰνάλιος Od. h. 6, 3; — εἰσωπός Ο 653 (εἰς ὦπα); — ἔννυχος Λ 716. h. 3, 284 et ἐννύχιος; — μετάφρενον = τὸ μετὰ φρένας; — ἐπιχθόνιος, καταχθόνιος Ι 457; — ἐξαίσιος Ο 598. Od. (cf. ὑπὲρ αἶσαν) et παραίσιος Δ 381 (παρ' αἶσαν); — καταθύμιος, ἀποθύμιος Ξ 261 (ἀπὸ θυμοῦ Α 562), ἐνθύμιος ν 421; — ὑπηοῖος; — κατουδαῖος h. 3, 112: subterraneus (οὖδας, ex κατ-ουδάσ-ιος); — ἀντιάνειραι Γ 189. Ζ 186, cf. ἀντίθεος, sed Pind. Ol. 12, 17: στάσις ἀντιάνειρα seditio viros adversus viros excitans (comp. obj.); — ὑπώρεια Υ 218 (ὄρος); — ἐπιγουνίς Od. (γόνυ); — ἐπετήσιος η 118 (ἔτος); — ἐπικάρσιος ι 70 (= ἐπὶ κάρ Π 392) aliaque.

Si quis Pottianam illam sententiam probat de ἀλλοδαπός, τηλεδαπός similibusque, quae vir ingeniosus composita esse vult ex priscis ablativorum formis cum praepos. ἀπό, hic ea ascribet et inversionem habebit membrorum; de qua tamen in adverbialibus quidem valde addubito.

3) Adj. (adv.) + adj.

Congerenda sunt tertio hoc adverbialium loco exempla ali-

---

[6]) Ν 130 σάκος σάκεϊ προθελύμνῳ hanc admittere videtur interpretationem: scutis fundo, solo innixis.

quot, in quibus duo adjectiva concreverunt, sed ea ratione, ut unum non attributivam, sed adverbialem alteri afferat determinationem. Quodsi disjunguntur, prius illud membrum adverbialem vel neutralem induit formam. Satis crebra sunt hujusmodi composita; saepissime invenias priore loco voces πᾶς, πολύς, νέος (cf. nostra „all-weise", „hoch-heilig", „vieltheuer"):

πάμπρωτος, παναίολος Il., παγχάλκεος Υ 102. Od. et cet.; — πολυτλήμων Η 152. σ 319 (τλήμων), πολυπότνια h. 5, 211, πολύπικρος π 255, πολυδαίδαλος (Ψ 743 active: artificiosum opus faciens, ceteris locis pass.: artificiose factus, sicut δαίδαλος), alia; — etiam μεσσαι[7]) -πόλιος Ν 361 (cf. nostr.: „mittel-gross").

Deinde cum participiis πολύκεστος (κεστός) Il., πολύκμητος, πολυήρατος, Od. h., πολυάρητος Od. h. 5, 220, alia; πολύπλαγκτος Λ 308 act.: πολὺ πλάζων, Od. pass.: πολὺ πλαγχθείς; πολυδάκρυτος Ω 620: valde deploratus, Od. valde plorans, apud alios: efficiens ut valde ploretur; πολύκλυστος act. Od.; — νεότευκτος Φ 592, νεόπλυτος ζ 64, similiaque; — μελάνδετος Ο 713; — ἡδύποτος Od. h.: ἡδὺ ποτός, juxtapositio, si mavis.

Tum vero: πολυάιξ (ἀίσσω); — νέηλυς Κ 434. 558: νεωστὶ ἐλθών, νεοδμής h. 2, 53, modo domitus; — νεοτευχής Ε 194 = νεότευκτος, νεηγενής Od. = νεογνός (ex νεόγονος) h., νεοθηλής Ξ 347. h. act. etc.; — πολυσπερής Β 804. λ 365, pass.; πολυγηθής Φ 450 (γηθ—έω) act.: multum delectans; — πρωτοτόκος Ρ 5: τὸ πρῶτον τεκοῦσα; — ὠκύροος Il.; — βαθύρροος, βαθυρρείτης Φ 195: βαθὺ ῥέων; — ἀκαλαρρείτης Η 422. τ 434; — ἑκατηβόλος, ἑκατηβελέτης Α 75. h. 1, 157 (ἕκατος); — ὀξυβελής Δ 126 (οἰστός): quid aliud nisi ὀξὺ βάλλων vel potius βαλλόμενος (r. βαλ, βελ)? — εὐρύοπα, εὐρυσθε-

---

[7]) De forma prioris membri v. Curt. p. 298: locativus est fem. Simili modo loc. masc. adverbii munere fungi videtur in ὀλοοίτροχος (v. Curt. p. 322. 505. 582): quasi „volventer" currens, Ν 137.

νής; — λεπτουργής pass. h. 31, 14, alia; denique etiam γλυκυμείλιχος h. 6, 19 (μειλίσσω an rectius μείλιχος?); — ἰθυπτίων Φ 169 (πετόμενος); — θρασυμέμνων (cf. Ἀγαμέμνων) E 639. λ 267 (μένω, μίμνω, cum reduplicata intensiva participii forma).

4) Adv. + adj.

Postremo adverbialium et omnino subjectivorum loco ea adjungo composita, in quibus adjectivo vel participio praefixum est indeclinabile. Ingens est talium apud Homerum multitudo; sed moneo, ne desideres hic neve annumerata velis vocabula qualia sunt ἀμφίχυτος Υ 145, περιξεστός μ 79, ἀμφηρεφής Α 45, περίδρομος, quae quin decomposita sint verborum cum praepositionibus compositorum, vix quisquam dubitet, quamvis interdum ipsa verba composita non sint in usu: ἀμφιχέω, περιτρέχω, περιξέω, ἀμφερέφω. Sed sane in paucis quidem similibus infitias ire nequeo, videri factum esse nomen compositum ex praepositione atque verbo (participio), velut fortasse ὑπερακής Λ 297, ὑπερφίαλος (φύω, Curt. p. 648); verum tamen praestare videtur, ut quantum fieri potest in ejusmodi exemplis verba potius repetamus jam ante composita.

Adjectivorum cum particulis compositorum exempla promo haec:

ἀμφιμέλαιναι (φρένες); — ἀντάξιος Il. h. 3, 437; — ἐπιείκελος; — ἐναντίος; — περικλυτός, valde inclitus; — προπρηνής, καταπρηνής; — πρόπας, σύμπας, ἅπας (ex σα–πας, Curt. p. 351: etiam ἀ–λίγκιος sic explicatur = nostrum g(e)-leich); — ἀγχιβαθής ε 413: ἄγχι (prope scil. litus) βαθύς; — singulariter dicitur E 2 ἔκδηλος. Etiam ὑποταρτάριος Ξ 279 de adj. quodam ταρτάριος deducendum erit ac non de nomine ipso, ita ut significet, non „qui infra Tartarum est“, sed „qui infra (sc. terram) est in Tartaro. Praeterea ἀγακλειτός; — τηλεκλειτός; — ἀρίζηλος (Curt. p. 545) = ἀρίδηλος; — δαφοινός Il. h.; — εὔπλειος ρ 467; — δυστλήμων h. 2, 354; — ἀέκων, ἄμβροτος (ἄβροτος Ξ 78, quod apud Aesch. Prom. 2 comp. est objectivum: hominibus carens, v. annotat. Herman-

ni); permultaque alia.

Sequuntur participia:

ἐύδμητος, ἐύξεστος = ἐύξοος, ἐύρροος Il. = ἐυρρείτης Z 34, ξ 257 = ἐυρρεής Il. (= Εὐρώτας), εὐεργός Od. (r. ϝεργ) act., apud alios etiam pass. = εὐεργής, ἐυκτίμενος; — ἐρίβρομος h. = ἐριβρεμέτης N 624; — ὑψιβρεμέτης, ὑψιπέτης = ὑψιπετήεις X 308. ω 538, ὑψηρεφής sive ὑψερεφής pass.; multaque alia, quorum priora membra sunt ἀρι–, ἐρι–, εὐ–, δυσ–, ζα-, παλιν-, ἀγα(ν)-, τηλε-, ἀγχι–, ὀψι-, αἰει- (γενέτης cf. αἰθρηγενέτης h.); — deinde πυγμάχος ϑ 246 (πύξ); — ἑκάεργος, ἑκηβόλος Il. h.; — παλαιγενής, παλαίφατος Od.; — χαμαιγενής h., χαμαιεύνης Π 235 et χαμαιευνάς fem. Od. (εὐνάομαι); — ἡμιτελής (τελέω) pass. B 701, ἀτελής ρ 546, h. 5, 481; — ἀψ-ό-ρροος Σ 399. υ 65 (ῥέω) et ἀψόρρος, neglecta vi verbi; — μαψ-ι-λόγος h. 3, 546; — ἰθαιγενής ξ 203, si quidem sequimur[8]) Boppium, qui in gloss. Scr. illud ἰθα(ι)– comparat cum Indico adverbio „iha (idha)" hic, ibi; — ἠριγένεια (ἦρι); — δίζυγες (r. ζυγ, ζεύγνυμι) ἵπποι Il. pass. = bijugae, bigae; δικλίς (κλίνω) M 455. Od. pass.; δισθανής μ 22 bis moriens; — τρίλλιστος Θ 488: ter exoptatus; τρίπολος Σ 542. ε 127 (πολ–έω, pass.?).

Ad adjectivum φραδής potius quam ad verbum φράζω referenda erunt περιφραδής admodum prudens, ἀφραδής imprudens; dubito de εὐφραδέως τ 352; sed de verbo φράζω, φράζομαι derivatum putem ἀριφραδής pass. = ἀρίγνωτος, Ψ. Od. cf. act.: δολοφραδής, κακοφραδής, casualia.

Denique permulta accedunt, in quibus adhibitae sunt particulae: α quod grammatici vocant privativum atque α copulativum (= sa, Curt. p. 351), et νη-. Enumero haec: ἄβρομοι et αὐίαχοι i. e. ἀϝίαχοι, concrepantes et conclamantes N 41; ἀολλής (εἴλω v. Curt. p. 483 sq.) et ἀελλής Γ 13, pass.; et quaedam similia; — νῆ(ϝ)ις (r. ϝιδ, οἶδα) inscius H 198. ϑ 179.

---

8) V. etiam commentationem R. Roedigeri: de priorum membror. in nom. Graec. compositis conformatione finali (Lips. 1866) p. 78 sq.

h.; νημερτής (ἁμαρτ-άνω); νῆστις T. σ 370 (cf. ὠμηστής, r. ἐδ, ἐσθίω); νηλείτιδες Od. = οὐκ ἀλιτοῦσαι; νήκεστος h. 5, 258 (ἀκέομαι) = ἀν-ήκεστος insanabilis; — ἀκμής (κάμνω) Il. h. 3, 103 = ἄκμητος h. 2, 342; ἀδμής Od. h. 5, 145 = ἄδμητος h. 4; ἀδάκρυτος A 415. Od. act., sicut ἄπρηκτος Il. nihil efficiens, sed Od.: ubi nihil effici potest; ἄῤῥηκτος (adj. verb.); ἄσχετος atque ἀάσχετος Il. (ex ἀ-σάσχετος, qui cohiberi non potest); ἄπαστος (πατέομαι) T 346. Od. h. 5, 200: „ungegessen“ (act.); ἄπνευστος ε 456 act.; ἀγέλαστος h. 5, 200 act.; ἀπείρητος, ἄκλαυτος, ἄπυστος, sicut nostrum illud „ungegessen“ aliis locis passiva, aliis activa significatione. Hoc idem cadit in ἀπευθής γ 88 pass., γ 184 act. Ἀσινής = Od. (σίνομαι) pass.; ἀληθής = οὐ λήθων act.; ἀτειρής qui conteri non potest. Praeterea ἀτρέμας (adv.) = οὐ τρέμων; ἀκάμας Il. h. 31, 7: οὐ κάμνων; ἄσκοπος Ω 157=186: οὐ σκοπῶν incautus; ἀεργός I 320. τ 27 nihil faciens; ἀλαός (λάω) non videns.

Commemoranda sunt etiam ἀσήμαντος K 485 = οἷς οὐ σημαίνεται; — ἄδοτος h. 3, 573, quod explicari solet: *cui* non, nihil datum est.

Postremo nomina numeralia cum praepositione σύν composita sunt haec: σύντρεις ι 429, ξυνεείκοσι ξ 98, σύνδυο h. 4, 74.

Atque haec hactenus de nominibus compositis subjectivis eorumque tribus generibus.

CAPUT II.

De nominibus compositis objectivis.

Multo breviores, quam adhuc fuimus in compositis subjectivis, in hoc capite erimus de objectivis. In quibus, quemadmodum in priore libro exposui, repetuntur quidem tria illa determinativorum genera: attributiva, casualia, adverbialia; sed intra haec singula genera deest ea quam in subjectivis inveni et descripsi varietas. Namque tertia illa notione possessiva i. e. participio verbi habendi in compositione objectiva domi-

nante jam supra vidimus (lib. I, § 6) effici, ut universa nomina composita objectiva adjectiva sint. Atqui haec eadem objectivorum natura poscit etiam, ut id quidem compositionis membrum, quod regitur ab illo participio possessivo eique subest, nihil aliud sit nisi nomen *substantivum*. Sequitur, ut in omnibus compositis objectivis unum illud membrum (posterius, determinatum), ex quo pendet alterum (determinans, prius), semper nomen substantivum sit, adjectivum autem vel participium esse nequeat.

Itaque primum quidem in attributivo genere effici potest tantum compositio substantivi atque substantivi, deinde adjectivi atque substantivi, alia nulla. Sed ne has quidem duas species (cf. cap. I, 1, 1 et 2) Graeca lingua in primo genere distinxisse mihi videtur. Recte enim certe Justius (p. 119. 120.) ex Sanscrita lingua affert exempla ex duobus substantivis composita appositionalia objectiva, velut indra-śatru: Indram hostem habens; sed quae Graeca affert exempla: χρυσοέθειρ, χαλκέντερος, ποδήνεμος, ἄγραυλος, haec ego potius *casualia* objectiva esse censeo, in quibus determinantis membri cum determinato ratio sit casus genitivi: sicut nostrum „goldhaar" est = haar von gold, goldenes haar habend, ita χρυσοέθειρ est = ἐθεῖραν χρυσοῦ ἔχων, χρυσῆν. Atque igitur omnia, quae ego quidem apud Graecos adhuc reperi composita objectiva attributiva, non alia adhibent membra nisi adjectivum atque substantivum: μεγάθυμος.

Pergimus ad casualium genus. Apparet in hoc non alia composita objectiva effingi posse, nisi in quibus casualis ratio (maxime casus genitivi) intercedat inter dua substantiva: θεοειδής = θεοῦ εἶδος ἔχων. Repetitur igitur subjectivorum casualium prima solum species (cf. I, 2, 1): μητροπάτωρ = μητρος πατήρ; non repetuntur ceterae (2—4), in quibus adjectiva vel participia in compositione regnant.

Deinde in adverbialium genere ea sola subjectivorum ad objectiva pertinet species, in qua adverbium cum substantivo conjungitur attributiva quodammodo ratione (v. I, 3, 1); con-

feras πρόδομος atque πρόφρων. (In ceteris tertii subjectivorum generis ordinibus aut neutrum membrum substantivum est (I, 3, 3 et 4), aut ubi est substantivum (2), non regens est membrum, sed pendet ex praepositione: ἀντίθεος).

1. *De attributivis.*

Adj. + subst.

Ex innumerabilibus Homericis exemplis deligo haec:

μεγάθυμος = magnanimus; — εὐρυάγυιος = εὐρείας ἀγυιάς (ἔχων); — εὐρυπυλής (πύλη) Ψ 74. λ 571; — κρατερόφρων; — ὀμβριμοπάτρη; — εὐρυοδείη Π 635. Od. h. 1, 133; — βαθύλειμος (λειμών) I 151 = 293; — ἑλίκωψ Il., fem. ἑλικῶπις Il. h. 33, 1 (ἕλιξ, cf. ἑλικοβλέφαρος h. 6, 19); — κυλλοποδίων Il.; — ὁμογάστριος Φ 95. Ω 47 (sicut ἀ–δελφεός, ἀ–δελφός = skr. sa-garbh-ja-s, Curt. p. 420: co-uterinus); — ἡδυεπής Α 248. h. 21, 32 suavia verba habens, dicens, ἡδύγελως h. 19, 37; — στεινωπός (ὤψ) angustum oculum, exitum habens, πολυ-ωπός χ 386 multa foramina habens; — κραταιγύαλος Τ 361 et κραταίπεδος ψ 46, expulso de κραταιός suffixo ο; — κελαινεφής ex κελαινο-ν. et μῶνυξ ex μον-ῶνυξ (cf. γαμψῶνυξ, γαμψός, Π 428. Od.); —

πολύμητις, (cf. ἀγκυλομήτης, ποικιλομήτης Λ 482. Od. h., αἱμυλομήτης h. 3, 13, κλυτόμητις h. 20, 1) = πολλὴν μῆτιν ἔχων; — πολυβενθής Α 432. Od. (βένθος) multam, magnam profunditatem habens; — πολυδειράς = πολλὰς δειρὰς ἔχων; — πολυβού-της I 154 = 296; — πανομφαῖος Θ 250. h. 3, 473: πάσας ὀμφὰς πέμπων; — πανημέριος totum diem durans, e Graecorum more etiam de ipsis hominibus, qui totum diem facere aliquid pergunt; — πάννυχος, παννύχιος; — ἑτερήμεροι λ 303: alternos dies habentes, (nunc vivi, nunc mortui); — ἀλλοειδής ν 194; —

ἑπτάπυλος Δ 406. λ 263; — τρίπους „dreifuss"; — τράπεζα = τετράπεζα, „quadrupes"; — ἑπταβόειος Il. (βοεία); — ἐννεάπηχυς Ω 270. λ 311. h. 1, 104: novem cubita longus, altus; — ἑπταπόδης Ο 729 septem pedes longus; — ἑξέτης

Ψ 266 sex annos habens, sexennis; — πενταέτηρος; — ἐννέωρος (ὥρα) Σ 351. Od.; — δυωκαιεικοσίμετρος Ψ 264 (τρίπους) = δύο καὶ εἴκοσι μέτρα ἔχων; — ἑκατόμβοιος Il. centum boum pretium habens.

Animadvertimus in talium exemplorum disjunctione et significationis interpretatione plerumque quidem adhiberi posse participium habendi, ἔχων; sed in nonnullis, maxime cum numeralibus compositis, magis idoneum est aliud, quod apponatur. Sunt etiam quaedam quae commodissime explicari videntur adhibita aliqua praepositione, velut πρωθήβης Θ 518. Od. h. est τὴν πρώτην ἥβην ἔχων sive ἐν πρώτῃ ἥβῃ (ὤν); — τρίστοιχοι μ 91 (ὀδόντες) = ἐν τρισὶ στοίχοις ἑστηκότες; — αὐτοέτης, αὐτόετες γ 322 = ἐν (τῷ) αὐτῷ ἔτει.

Deinde memorabilis est natura aliorum aliquot compositorum, quae duplicem objectivam admittant explicationem. Namque sicut ἰχθυόεις, χαρίεις quidem est multos pisces, multam gratiam habens, sed ἱμερόεις desiderium efficiens, et sicut στονόεις tum „multum suspirans" tum „multa suspiria efficiens" significat, ita interdum possessiva compositorum objectivorum notio causativam quandam efficit significationem. Ὠκύμορος enim A 417 aliisque locis est: celeriter moriens, (celerem mortem habens cf. αἰνόμορος), sed O 441. χ 75: celerem mortem efficiens, ferens; — πολύδακρυς Il. multas lacrimas habens i. e. efficiens; — πολυπήμων h. (πῆμα) multa mala ferens; — πολύστονος saepius in Il. multa suspiria efficiens (κήδεα, Ἔρις, ἰός; cf. στονόεις); τ 118: multa suspiria habens, multum suspirans; in qua tamen significatione fortasse rectius quam de subst. στόνος deducitur de verbo στένω sicut adverbiale ἀγάστονος μ 97. h. 1, 93. Ceterum v. etiam infra p. 53.

Non dubito huic generi ascribere κλυτοτέχνης, κλυτότοξος, κλυτόπωλος Il., κλυτόμητις h. 20, 1; interpretari enim ea magis placet κλυτὴν τέχνην κ. τ. λ. ἔχων quam (commutato membrorum ordine) τέχνη κλυτός. Contra κλυτοεργός θ 335, quod jam accentu differt, praestat praemisisse supra p. 32.

Duodecim Homerus habet exempla a καλλι- incipientia, velut καλλιπλόκαμος, quae omnia huc pertinent praeter unum καλλίῤῥοος, quod est καλῶς ῥέων (comp. subj. adv. I, 3, 3). Priore enim eorum loco notionem certe adjectivi καλός adhibitam esse nemo negabit; sed sane discrepat forma. De qua ego quidem ita sentio, ut, quoniam comparandum est Sanscritum (et Indoeuropaeum) kal-ja (Curt. p. 130), in hoc syllabam ja confluxisse putem in i; ea ipsa vocali autem effectum esse videtur, ut dupliciter scriberetur littera l (l „mouillé"): καλ-ι, καλλι. (Contra in κάλλ-ος duplex l *assimilatione* factum est ex lj: καλj-ος [suff. ος, Sscr. as]).

Quod probatur Roedigero (l. c. p. 43) de compositis ἀργιόδους, ἀργικέραυνος Il., ἀργίπους Ω 211, ut praeter ἀργός aliam stirpem ἀργι- agnoscat in soluto sermone non usurpatam, haud displicet eandemque stirpem subesse arbitror vocabulis ἀργινό-εις et ἄργ-ι-λος (rad. ἀργ v. Curt. p. 157). — Eundem illum virum ornatissimum sequor (l. c. p. 60 sq.), cum hic ascribam ἀρτίφρων ω 261, ἀρτιεπής Χ 281, ἀρτίπος I 505. θ 310, denique χαλίφρων Od. de adjectivis quibusdam ἄρτις, χάλις deducenda.

Quae a τανυ- incipiunt nomina composita, Homerica numero octo, sicut τανύπεπλος, sine dubio repetenda sunt ab adjectivo quodam τανύς, simillimo Sanscriti tanus, Lat. tenuis.

Praeterea de iis compositis objectivis, in quibus *participium* praecedit substantivo, actum est jam supra p. 38; significatio participii activa est in ταλασίφρων, ταλάφρων, κλεψίφρων; passiva in ἀεσίφρων.

Postremo duo habeo hujus generis Homerica composita, in quibus trajectio membrorum facta est. Quod enim attinet ad κορυθαίολος Il. = αἰόλην κόρυν ἔχων, nihil aliud opinor significabit nisi: vibrantem i. e. micantem, fulgentem galeam habens. Αἰόλος enim cum proprie sit mobilis, vibrans, aptissime adhibetur ad vibrantem illum armorum fulgorem et αἰολοθώρηξ Il. explicandum esse duco: fulgentem thoracem habens. (Locos quibus αἰόλος de armis dicitur v. apud Buttm. Lexil. 76).

— Tum vero ἱπποδάσεια (κόρυς, κυνέη) significat: densam cristam habens. Ἵππος enim adhibitum est pro ἵππου οὐρά, sicut βοῦς dicitur interdum pro βοεία (sc. δορά) et Sanscritum gâus, vacca, pro lacte vaccino.

2. *De casualibus.*

Subst. + subst.

Multo amantior quam subjectivi illius generis lingua est hujus objectivi. Homerica exempla sunt:

θεοειδής (εἶδος) similiaque alia in -ειδής vel -ώδης (ex ο-ειδης) exeuntia; — ἱππόκομος Il. (κόμη); — ἵππουρις = ἵππου οὐρὰν ἔχων, ἔχουσα; — etiam οὐρανομήκης ε 239 (μῆκος); — deinde ἀργυρότοξος = τόξον ἀργύρου, ἀργύρεον ἔχων; — χαλκοχίτων; — χρυσόθρονος; — μιλτοπάρῃος Β 637. ι 125; — ἰοστέφανος h. 6, 18; — δολομῆτα Α 540. h. 3, 405, δολόμητις Od., δολόφρων, quod quidem subest decompositis δολοφροσύνη, δολοφρονέων; multa alia, in quibus omnibus etiam hoc patet, quam prope absit genitivus ab adjectivis. Quo modo fit, ut saepe *comparativa* evadat duorum membrorum ratio eaque casualis, quae cum apud Homerum quidem desit in subjectivo[9]) genere, haud rara est in hoc objectivo; exempla sunt praeter alia complura haec:

ῥοδοδάκτυλος roseos digitos habens, ῥοδόπηχυς h. 31, 6; — κροκόπεπλος Il.; — ἀργυρόπεζα; — κυανοχαίτης; — βοῶπις Il. h.; — κυνῶπα Α 159, κυνῶπις; — καλυκῶπις h. (κάλυξ); — ἀελλόπο(υ)ς Il., ita dictum, ut pedes attribuantur vento: venti, procellae pedes habens i. e. tam veloces; — μελίφρων mellis animum habens, neglecta posterioris membri notione etiam de vino aliisque suavibus rebus; similis vox est μελίγηρυς (γῆρυς) μ 187. h.: mellis i. e. suavem sonum habens.

Facta est etiam in hujus generis quibusdam compositis trajectio sive inversio membrorum. Quam sine dubio effecit ver-

---

[9]) Minime deest in nostra lingua, et maxime poetae cupidi sunt hujusmodi compositorum subjectivorum casualium comparativorum: silberstimme, adlerauge, rabenhaar.

sus hexameter in ποδήνεμος Il. h. 1, 107 (= ἀελλόπος) et θυμολέων (nos cum solito membrorum ordine: „löwenherz") = λεοντόθυμος, quod usurpatum est in inscriptione hymni 15. Itemque se habere videtur αὐλῶπις Il. foramina oculorum habens (de galea) et σκοτομήνιος ξ 457 = σκότον μήνης ἔχουσα (νύξ); ceterum haec duo non comparativa sunt composita.

Priore compositionis loco admissum est pro nomine pronomen in ἑτεραλκής; significat enim ἑτέρων ἀλκὴν ἔχων vel ἑτέροις ἀλκὴν διδούς.

Denique in paucis quibusdam exemplis membra alius atque genitivi casus rationem inter se habere videntur; λεχεποίης Il. h. quidem explicatur: gramen ad cubile, cubandum (scil. aptum) habens, et κισσοκόμης h. 26, 1 interpretandum erit: comam habens hedera ornatam. Facere non possum quin ad haec duo exempla comparem commodam illam nostrae linguae consuetudinem, ut casus accusativus cum insequente praepositione quasi absolute adhiberi possit: „ein sträussel am hute, den stab in der hand, zieht einsam ein wandrer" . . . . Itaque κισσοκόμης in continuatione sermonis a nobis verti potest: „epheu im haar" (scil. habend), sed sane mutato membrorum ordine, cum Graecum compositum proprie significet: „haar mit epheu (habend)".

3. *De adverbialibus.*

Adv. + subst.

Creberrima sunt hujus quoque generis apud Homerum exempla, qualia:

πρόφρων: pro(pensum) animum habens; — περίφρων E 412. Od. h. 5, 370; — ἐπίφρων Od.: ἐπ(ούσας) φρένας ἔχων; — ὑπέρβιος, ἀντίβιος: super(bam), op(positam) vim habens; — ἀμφίαλος Od. h. 1, 32: ab utraque parte, ab omnibus partibus mare habens, mari circumdatus; — ὑπόρρηνος K 216 agnum subter se habens; — ἀγχίνοος ν 332 mentem prope habens, adhibens; — ἐπώνυμος I 562. Od. h. 2, 195 = ὄνομα ἔχων ἐπί τινος; apud alios etiam causative:

ὄνομα ἐπιδιδούς τινι; — deinde aliis adhibitis adverbiis: εὔκομος, ἠύκομος; ἐυκνήμιδες; ἐύσσελμος; in quibus εὖ semper dicitur loco adjectivi ἀγαθός, καλός, nunquam pro πολύς; — εὔφρων, etiam de vino Γ 246; — εὐπατέρεια Ζ 292. Od.; — ἀγακλεής Il.; — δυσκλεής Β 115 = Ι 22, δυσμενής; — ἐριβῶλαξ, ἐρίβωλος; — ἀρίσημος h. 3, 12 (σῆμα); — ὑψίπυλος Il.; — νώνυμος Od. et νώνυμνος (νη–); — ζαμενής h. 3, 307; — δάσκιος Ο 273. ε 470. h.; — παλίσκιος h.; — ὄπατρος Il., ὄθριξ Β 765, οέτης (ὀϝέτης) Β 765, ἄλοχος, ἀτάλαντος, etiam ἄξυλος Λ 155, adhibito illo adverbio Indoeuropaeo sa; — ἀθάνατος, ἄτιμος, ἄφρων, ἀπείρων et ἀπειρέσ–ιος (πεῖραρ, πεῖρας), ἀκλεής; ἀκήριος Il. de κῆρ: exanimis, ignavus; ἀκήριος Od. de κήρ: non laesus, h. 3, 530 act.: non laedens, salutaris; itemque ἀπήμων non laesus (nostrum „schadlos“ halten), aliis locis (cf. Ν 744 cum 748, 761): non laedens, juvans, jucundus; ἀπάλαμνος Ε 597 (παλάμη) = ἀμήχανος consilio carens, sed ἀμήχανος etiam: in quo vel in quem nihil effici potest (cf. τ 363 cum τ 560); ἄχολος, νηπενθής δ 221 caus.: iram, tristitiam non habens, demens. Denique sicut subjectiva Ἄιρος, ἄναες (v. p. 74) significant κακὸς Ἶρος, κακαὶ νῆες, ita ἄμορος, ἄποτμος Ω 388. Od. objectiva significant κακὸν μόρον, πότμον ἔχων.

Ex substantivo atque adverbio (ἀ, ἀν) composita sunt accedunque ad hoc genus, si quid video, etiam ἀγέραστος Α 119; ἀκήδεστος Ζ 60 pass.: neglectus, Χ 465. Ω 417 act.: negligens; ἀθέμιστος Ι 63. („ἀφρήτωρ ἀθέμιστος ἀνέστιός ἐστιν ἐκεῖνος“) Od.: legem non habens, non observans. Quae cum de verbis derivata esse non possint, ita conformata esse censeo, ut suffixum participiale –το adjunctum sit ad ipsa substantiva γέρας, κῆδος, θέμις; praefixum est autem α privativum. Conferas etiam πολυβού–της multos boves habens (v. supra p. 47), quod derivatum est de βοῦς, adhibito illo suffixo –της activorum participiorum in componendo proprio. —

Restat ut in fine hujus capitis mentionem faciam de qui-

busdam nominibus compositis, in quibus, utrum subjectivis an objectivis annumeranda sint, dubitari potest. Quid enim statuamus de his exemplis: λιγύφθογγος, λιγύμολπος h. 19, 19? Deducenda erunt de substantivis φθόγγος, μολπή an de verbis φθέγγεσθαι, μέλπειν? Hoc si probamus, composita subjectiva sunt eaque adverbialia (I, 3, 3): λιγέως φθεγγόμενος, μέλπων; illo modo objectiva habenda sunt eaque attributiva (II, 1.): λιγὺν φθόγγον, λιγεῖαν μολπὴν ἔχων. Sed quod ad significationem, utrum simplicius dicatur: λιγὺν φθόγγον ἔχων an λιγέως φθεγγόμενος, dubium non erit. Hoc, opinor; omnino enim composita subjectiva simpliciora sunt quam quibus possessiva notio accedat objectiva. Itaque tenebimus λιγύμολπος, λιγύφθογγος subjectivis potius annumeranda esse quam objectivis.

Itemque βαρύφθογγος h. 4, 159, καλλίρροος, etiam βαρύκτυπος h. 5, ἐρίγδουπος, βαθυδίνης rectius atque simplicius de verbis φθέγγομαι, ῥέω, κτυπέω, γδουπέω, δινέω deducentur quam de substantivis φθόγγος, ῥόος, κτύπος, γδοῦπος, δίνη; subjectiva igitur adverbialia exempla sunt, non objectiva attributiva. Et πολύτροπος Od. h. 3. dissolvendum erit cum passiva *participii* significatione: πολὺ τραπείς vel τραπόμενος; πολύφορβος Il. h. 2, 187 repetendum non erit de φορβή: πολλὴν φορβὴν ἔχων, sed de verbo φέρβω: πολλοὺς φέρβων, (vel si mavis πολύ). Similiterque alia.

Verum tamen in his: ἄτρομος Il., ἀταρβής N 299, ἄφθογγος h. 5. praefero significationem objectivam: οὐ τρόμον, τάρβος, φθόγγον ἔχων; deduco igitur ea non de verbis, sed de nominibus. Neque omnino facere possumus quin statuamus confluxisse interdum conformationem quorundam subjectivorum de verbis derivatorum (βαρύφθογγος) atque objectivorum de substantivis compositorum (ἄφθογγος) in unam eandemque.

Incidimus hic illic in ejusmodi exempla jam supra, velut πολύστονος (p. 48); addo etiam haec. Τανυήκης, ἀμφήκης similiaque composita derivata esse habentur ex substantivo quodam „ἀκή“ acumen; sed πυριήκης ι 387 fieri non poterit quin

deducatur ex verbali quadam stirpe significante „acuere". Ζεί-δωρος explicatur: frumentum donans, et ἠπιόδωρος Z 251, ἀγλαόδωρος h. 5: ἤπια, ἀγλαὰ δωρουμένη, ipsa quoque recte deducentur ex verbo δωρεῖσθαι; at πολύδωρος praestabit explicare: πολλὰ δῶρα ἔχουσα (scil. accepta) et deduxisse de substantivo δῶρον.

Atque de nominibus compositis objectivis actum sit.

De nominibus bicompositis.

Graeca lingua, qua est elegantia, abhorruit a compositionibus nimis artificiosis cumulatisque, qualibus utitur Sanscrita; imo, quod attinet ad plura duobus membra componenda, apud Homerum quidem non aliam inveni nisi duplicem compositionem i. e. membrorum trium. Ceterum in his „bicompositis" linguam nonnunquam oblitam fuisse duplicis factae compositionis non dubito contendere; ita εὐρυμέτωπος bicompositum est ex εὐρύς atque *composito* membro μέτωπον effectum, sed vix quemquam Graecum opinor hujus rei satis sibi conscium fuisse.

Rationes legesque, quibus conjuncta sunt membra bicompositorum, plane eaedem sunt atque compositorum simplicium; et quidem, cum Homerus copulativum bicompositum adhibeat nullum, omnia quae inveni determinativa sunt. Animadvertendum est autem in Homericis exemplis bicompositis subjectivis compositum membrum inveniri plerumque posterius, contra in objectivis plerumque priore totius compositionis loco. Enumero ex viginti sex quae habeo ea quibus opus est exempla.

I. Comp. subj.

1. attribut.: desunt exempla Homerica.

2. casual.: πατρο-κασίγνητος Φ 469. Od. h. 5, 31; αὐτο-κασίγνητος Il. h. 5. et αὐτο-κασιγνήτη κ 137. h. (αὐτοῦ κ.); — φιλο-κέρτομος χ 287.

3. adverb.: ὑφ-ηνίοχος Z 19; — παν-αφῆλιξ X 490 (-αφῆλιξ obj., quamvis h. 5, 140 subj.), παν-άποτμος Ω, ἐν-αντί-

βιος, in quibus compositum membrum objectivum est; — ἐν-αλίγκιος; — ἀ-θέσφατος; — ἀ-κερσεκόμης Υ 39. h. 1, 134; alia; etiam, nisi decompositum bicompositi est: δυσ-αριστοτόκεια (cf. ὑφ-ηνίοχος) Σ 54. — Prius membrum compositum est in θεσπι-δαής Il.

II. Comp. obj.

Prius membrum compositum est in ἀκριτό (subj.) -μυθος B 246. τ 560; ἀμετρο (obj.)- επής B 212, similibusque, omnibus attributivis; —

posterius membrum compositum est in his tantum: λιπαρο-κρήδεμνος (subj. cas.) Σ 382. h. 5. et εὐρυ-μέτωπος (subj. adv.), ipsis quoque attributivis. —

Praeterea adhibitis praepositionibus majore cum licentia conformata exstant duo bicomposita: ἀλλοπρόσαλλος E et ἐμπυριβήτης Ψ 702, quibuscum comparandum videtur bicompositum quasi copulativum post Homerum usitatissimum: καλοκἀγαθος, adhibita conjunctione καί conformatum.

Annoto in fine totius libri, quaenam nomina composita creberrima sint apud Homerum. Atque in Iliadis et Odysseae quidem carminibus reperi

I, 2, 3): composita subject. casual. numero ad centum septuaginta; —

I, 3, 4): comp. subj. adv. ad ducenta octoginta; — deinde

II, 1: nom. comp. obj. attribut. circiter ducenta triginta; —

II, 3: comp. obj. adverb. ad centum et septuaginta.

Ceterum nomina omnino composita Ilias continet fere nongenta et septuaginta, Odyssea ad octingenta, quingenta denique hymni.

VITA.

Natus sum Eugenius Godofredus Ferdinandus Heerdegen Norimbergae a. d. VII. Id. Decembr. anni h. s. XLV patre Friderico, matre Babetta e gente Goldbeck. Fidem confiteor evangelicam.

Gymnasium frequentavi Norimbergense, quod florebat etiamque floret rectore Heerwagenio. In qua schola mihi carissima cum educatus sim inde a primis litterarum elementis, has studiorum meorum primitias consecratas ei volui neque magistris ejus mihi honoratissimis summam quam debeo unquam desinam habere gratiam.

Maturitatis deinde testimonio commendatus anno LXIII adii universitatem Friderico-Alexandrinam Erlangensem, deinde sub finem insequentis anni Bonnensem Rhenanam, postremo exeunte anno LXV in hanc almam transmigravi Friderico-Guilelmam; quibus locis omnibus per plus jam quadriennio variis operam navavi studiis, maxime philologicis. Nunc vero ab amplissimo hujus universitatis philosophorum ordine petitum velim, ut summis in philosophia honoribus benigne me ornet domum rediturum.

Universis autem hisce viris illustrissimis, quorum scholis interfui philologicis et philosophicis: Erlangensibus Keil, — qui etiam ascriptum me habuit sodalibus philologici illius universitatis seminarii, — Heyder, Spiegel, de Raumer, Will, Herzog; Bonnensibus Ritschl, Jahn, Springer, Gildemeister, Diez, Monnard, Schaarschmidt; Berolinensibus Boeckh, Haupt, Kirchhoff, Steinthal, Trendelenburg, Weber, Friederichs, Müllenhoff, Hübner, — his viris omnibus optime meritis de humanitatis meis studiis maximas quas debeo hodie semperque ago gratias.

THESES.

1. Trajectio sive inversio membrorum in nominibus compositis Graecis quam rarissime est statuenda.
2. Lingua Latina comparativis nominibus compositis (qualia sunt Graeca κυνάμυια, ῥοδοδάκτυλος) plane caret.
3. Errat Justius, cum affirmet (zusammens. der nom. p. 94): nomina composita, qualia sunt meridies, ἀκρόπολις, in omnibus linguis admodum crebra esse; imo in Graeca quidem ac Romana satis rara sunt.
4. Vocabulum κλειτός in carminibus Homericis ut potest ita debet legi tripartito: κλε-ϊ-τός; expulsum est enim inter ε atque ι digamma.
5. Defendendi sunt versus Aristophanei Ach. 316 et 318 ab impetu Hamakeri aliorumque delendos eos judicantium.
6. Antiquissimos Graecorum hymnos, qui ante Homerum olim floruisse putantur, quodammodo similes fuisse suspicor Vedicis Indorum.